Ex Libris Joannis Baptistæ
Rosani Schol. Piar. —

Anagramma
Cieristo = Patiens = Silirica = pie stari =
bevi il vecchio vino = –

CARMINA
SELECTA
EX ILLUSTRIORIBUS
POETIS
SAECULI DECIMIQUINTI ET DECIMISEXTI

Studioſis adoleſcentibus citra morum labem ad perlegendum propoſita.

PARS PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VERONAE MDCCXXXII.

Ex Typographia Petri Antonii Berni Bibliopolae.

SUPERIORUM PERMISSU.

EX LIBRIS JOANNIS BAPT. ROSANI SCHOL. PIARUM

NOBILIBUS ADOLESCENTIBUS

Collegii S. Zenonis in Monte Patrum Congregationis Somaſchae Veronae.

BIBLIOTECA … ROMA …

PETRUS ANTONIUS BERNUS BIBLIOPOLA

S. P. D.

CArmina iſta ex illuſtrioribus Saeculi Decimiquinti, & Decimiſexti Poetis ſelecta cui inſcriberem, diu multumque anceps non fui; quippe is unus exſtitiſsem cujus ab oculos Collegii inſignis veſtri ſplendor & decus non obverſaretur,

quae talia ſunt, ut prope dixerim, ejus nomen inter Italiae fines non coerceri, ſed quaquaverſum multa cum laude diffundi. Hic locus eſſet, ut quanti in quolibet ſtudiorum genere, & rerum illarum omnium, quae ne dum ad conformandum, verum ad animum exornandum conferunt, valeatis; ubi illud & Virtus veſtra, & perbrevis Epiſtola haec pateretur; ſed illud tamen, fortaſſe citra injuriam, negligi nequit, Vos in eo totos eſſe, ut cum Generis claritate, cum acri ingenio, & maxima in literis proficiendi cupiditate optimos quoſque mores conjungatis; ex hoc ſiquidem Officii hujus mei ratio bene inſtituta a prudentibus viris erit habitura: quandoquidem & ipſe, pro ea qua poſſum parte, illa ſiſterem

vobis

vobis, quae ad imitandum utique, ſed ſine morum labe, atque detrimento eſſent propoſita. Accipite ergo, praeſtantiſſimi Adoleſcentes, munuſculum hoc, quod modo exhibetur, atque exinde dignoſcite pro inſita humanitate veſtra, quodnam ſit juvandi ſtudium in illo, qui ſe Vobis addictiſſimum profitetur.

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato *Carmina Selecta ex illuſtrioribus Poetis Saeculi* XV. & XVI. *Pars prima*, & *ſecunda*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a Pierantonio Berno Stampatore in Verona, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 20. Marzo 1732.

(Gio: Franceſco Moroſini Cav. Rif.
(Alviſe Piſani Cav. Proc. Rif.
(Z. Piero Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

AD

AD LECTOREM.

PRaeſtantiſſimorum Poetarum, qui ſaeculo quinto & ſextodecimo floruerunt ſelectiora, & expurgata magis edendi conſilium permultis viris probatum, a Te quoque non mediocrem gratiam initurum confidimus, Amice Lector. Quod enim felici fato contigit hac aetate noſtra, ut bonarum artium ſtudia, excuſſis ſordibus, deterſaque demum ſuperioris aetatis fuligine, ad ornatum, ac nitorem redierint, primum quidem antiquis, iiſdemque optimis dicendi magiſtris legendis, terendiſque factum eſſe nemo ignorat; tum illis qui proxime ad optimos acceſſere, quos inter principem locum obtinuiſſe hos, quos edendos ſuſcepimus, conſtat inter omnes, qui doctas aures & literatas optimorum ſibi Scriptorum meditatione effinxerunt. Quis neſciat Bembum, Caſam, Naugerium, Fracaſtorium, & alia hujuſcemodi literaturae lumina tantam ſibi laudem in omnem poſteritatem comparaſſe, quantam nemo alius quiſpiam, qui ab aurea Auguſti aetate, actus libidine mala, ſcribendo diſceſſerit? Eſt in illis comptum Poeſeos genus, non tamen calamiſtris inuſtum, liberale non impudens; facile non diſſolutum, acutum, ſed grave pro rei varietate, ac modo; eſt limae

la-

labor, & mora, ut neque humi ſerpat, neque immodice efferatur; ingeniis vero adoleſcentulorum praeſertim efformandis apprime aptum, atque acoommodatum. Omnia prope fert aetatula illa, cum ex anguſtiis literularum ſuarum, perinde atque e crepundiis, egreditur; cum nervos ſenſim explicat, ac veluti fidibus pertentandis periculum ingenii facit, illi, quod primo ſtatim occurſu proponitur, paullatim accreſcit, &, ſiquidem non invita Minerva, aliquid poetice audeat, quem ſemel curſum inſtituit, ita porro tenere pergit, ut ſe ad alium, firmata jam aetate, nonniſi aegerrime transferat. Quare maxime cavendum eſt, ne peſſimam dictionis formam imprudens arripiat, tanto quidem periculoſius, quanto difficilius perſaepe eſt, errorem ſemel hauſtum deponere, quam a veritate ad errorem deficere: vel quia, ut ex Horatio notum eſt,

> Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt:
> Vel quia turpe putant parere minoribus & quae
> Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Horum Poetarum lectione optimo Poeſeos generi aſſueſcent adoleſcentes, ut cum ſemel hoc imbuti fuerint, non poſſint, & ſi velint, male atque inepte dicere. Verum non ſatis eſt ingenio,

&

& bonis literis proſpicere, niſi morum quoque ratio habeatur, quibus efformandis, ut debet, Chriſtiano homine dignis, fruſtra contendet Praeceptor, niſi obſcaenarum rerum lectione adoleſcentibus interdicat. Quot aetas prima, atque altera habet, ad vitium incitamenta? quibus alendis ſi Poetarum liberiorum lectio acceſſerit; nae illa monitorem, unde ad virtutem reflectanae, ac monita repudiabit. Blandius peſtis in animos influit carminis ſuavitate condita: ad nota perinde atque ignota propellit incautos, & fraudis inexpertos adoleſcentes: quaeque jam grandes nunc minime tangit, iſtos extimulat, inflammat, ac perdit. Quo etiam magis reprehendendi ſunt, qui quaelibet, modo pulcra, ac nitida ſint, carmina legenda tradunt adoleſcentibus. Satis, credo, Reipublicae conſultum eſt, cum literatos viros habet, ſi eoſdem habeat jam a teneris, ut ajunt, unguiculis, animo fracto, moribus perditis, impuros, effoeminatos: quo nimirum ſpectat ardor rei cujuſque legendae ſine diſcrimine. Mihi certe longe alia, ac melior, ut puto, ſententia eſt. Id cauſae fuit quamobrem optimos caeteroqui ſaeculi quinti, & ſextidecimi Poetas expurgatos non magis erroribus, quam obſcaenitate omni typis meis commiſerim. Neque illi omnia ſatis caute ſcripſerunt, neque omnia omnibus legenda ſcripſerunt: quaedam dolor, quae-

dam

dam ira, amor quaedam expreſſit; nonnulla perturbatione magis concitata, quam judicio, ac certa ratione fluxerunt. Optima cudimus Adoleſcentibus, quae ſtylum juvare atque ingenium poſſint: ab ipſis caetera vel nullo modo, vel certe minime id temporis perquirenda ſunt. His fruere amice Lector, ac Vale.

ELEN-

ELENCHUS
POETARUM,

Quorum opera in hac Prima Parte continentur.

PEtri Bembi.	Pag. 1
Andreae Naugerii.	12
Balthaſſaris Caſtilionis.	25
Joannis Cottae.	36
M. Antonii Flaminii.	40
Hieronymi Fracaſtorii.	60
Actii Syncerii Sannazarii	103
Marci Hieronymi Vidae.	121
Hercul. Strozae.	169
Titi Veſpaſiani Strozae.	202
Jo: Joviani Pontani.	226
Hippolyti Capilupi.	246
Jacobi Sado'eti.	266
Angeli Politiani.	278
Jacobi Bonfadii.	289
Paulli Manutii.	293
Franciſci Marii Molſae.	296
Paulli Panſae.	308
Hieronymi Amalthaei.	314
Jo: Baptiſtae Amalthaei.	323
Georgii Anſelmi.	329
Lazari Bonamici.	332

Joan-

Joannis Cargae. 342
Jani Etruſci. 352
Joannis Caſae. 353
Benedicti Lampridii. 366

PE-

PETRI BEMBI CARMINA

BENACUS.

BIBLIOTECA ... ROMA

TE Giberte cano, purus dum templa ſacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes.
Sit modo non impar tanto ſub pondere, quae me
Muſa vocat, nec eam ventura redarguat aetas
Obſcurae carmen claro tibi condere famae,
Et magnum brevibus voluiſſe intexere cartis.
Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas
Muſcoſo ſubter pendentia fornice tecta,
Atque Dei laetis implevit vocibus aures,
Adveniſſe diem, quo formoſiſſima terrae
Auſoniae Verona ſacris templiſque regendis
Demiſſum coelo & magnis virtutibus auctum
Acciperet juvenem, qualem vix ipſa petebat;
Forte pater gelido in luco ſilvaque virenti
Fontibus & rivis cubito ſubnixus & urnae
Jura dabat, cui carbaſei molliſſima fili
Stamina pingebant fuco, veſtemque parabant

Caeruleam, innumerae nodis ac retibus aureis
Collectos comptae crines tempuſque decorum,
Incinctaeque auro, ſuraſque ſinuſque fluentes
Veſtibulo in thalami natæ, niveoſque lacertos
Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyrae digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque, Saloque
Reddebant: ſol aeſtivos circumvagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo avidis allata Deus poſtquam auribus hauſit,
Promiſſoſque olim fatis ſibi laetus honores
Agnovit; tangens haerentem uligine barbam
Demulcenſque manu juſſit vicina vocari
Flumina: dein ſeſe placidum convexa ſub alta
Speluncae ſenior ſolitaque in ſede recepit.
Poſtera jam coelo ſtellas noctemque fugarat,
Urebatque dies multo terraſque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in undis;
Piſcoſuſque altas involvens Lambrus arenas:
Venit & indigenis foecundans Ollius arua
Deductus rivis; & cultos Abdua campos
Amne ſecans, fulvo ripaſque interlitus auro:
Nec rapidus fluvioque Atheſis ſpectandus amoeno
Defuit; aut Patavi circumque intraque pererrans
Moenia Meduacus triplici circundata muro:
Moenia, quae poſitor pugnas & bella peroſus
Muſarum Iliacus ſtudiis Phoeboque ſacravit:
Populiferve Padus genitor, qui flumina centum
Ipſe ſuo accipiens vaſto latiſſimus alveo
Ubera terrarum curſu per pinguia lapſus
Portat, ſeque mari ſeptenis amnibus infert.
Quos tunc atque alios velatus harundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo

Ob-

Obvius, atque in tecta parentis ſaxea duxit
Laetifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui ſimulac udos poſuere ſedilibus artus
Cryſtallo rigida fultis & Iäſpide glauca;
Continuo Nymphae menſas ante ora Deorum
Speluncae in medio niveis mantilibus alte
Conſternunt, dapibuſque onerant, Dicteaque plena
Vina ferunt referuntque manu, caliceſque madentes
Praecingunt myrto atque implexis flore coronis
Purpureoque roſae Medorumque arboris albo;
Medorum quondam; ſed quae nunc plurima laetas
Benaci veſtit ripas; non illa caduca
Fronde virens, ſuavique auras permulcet odore.
Poſt ubi prima quies epulis; Deus ipſe magiſter
Undoſique lacus domitor praeſentia circum
Numina reſpiciens his vocibus ora reſolvit.
Quod votis toties nequicquam optavimus unum
Vobiſcum Divi, fauſto modo ſidere luces,
Volventes luces, fatorum orbiſque miniſtrae,
Advexere; vehit pleno bona copia cornu,
Largaque pomifera praetendit munera dextra.
Quare vos primo longaevi a ſemine mundi
In mare coeruleum prono labentia curſu
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Flos etenim juvenum, longa formidine ſaecla
Perdita qui ſolvat; quique adglomerata malorum
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipſi,
Bactra ultra Thylenque ultra Scythiamque releget;
Quique urbes, quique arva colat, Jove miſſus ab ipſo eſt.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Hic primum miſeris viduatas civibus urbes
Accipiens, vacuoſque ſuis cultoribus agros

Replebit numerum exaequans augenſque priorem:
Oppidaque ingenti multum quaſſata ruina,
Proſtratiſque ſolo late moerentia tectis,
Reſtituet; pulchroque dabit ſplendeſcere vultu.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Magno nanque pii juvenis devinctus amore
Hethruſcus pater; excelſas qui Tibridis arces
Poſſidet, & nutu Romanum temperat orbem;
Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenii monumenta, & ſancti pectoris artes
Suſpiciens, obitoſque invicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permiſit habenas.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Quid memorem ut tener & primae ſub flore juventae
Ingentem ad ludum properaverit auſpicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus auſis;
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut ſcopulus fluctus ſaxo excurrente marinos.
Sic undas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu, caſus victor ſuperaverit omnes.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Saepe illum abruptis in vallibus Apennini
Verſantem; luctantis equi cum frangeret armos,
Praecipitanſque viam obſtrueret torrentibus imber:
Poeninas vel per fauces tractuſque volantem
Aerios ſummo miſeratae e vertice Nymphae
Optavere graves cohiberent nubila nimbos.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Saepe illi ad magnos reges mandata ferenti
Aſtitit unigena proles Jovis, ut bona mater,
Ut mater bona; quae caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem ſeſe addere caſus:
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis

Ipſe

Ipſe mea s artes jam nunc tibi dixit habeto.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis adeſt triplices magnas diſcreta per oras, (que
Fluviorum nemorumque ferax, pecudumque virum-
Gallia, non auri, pictae non indiga veſtis:
Diverſoſque jugo ad ventos interque cadentem
Surgentemque diem longo protenta Pyrene;
Altis quae geminas deſpectat cornibus undas:
Tum dictis factiſque potens illa inclyta bello
Lataque & in latas Hiſpania diſſita terras:
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Hae nam te inſolita orantem, averſaſque ſuorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant;
Acceptos converſa ſonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripae.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis & Hadriacus, parvo qui flumine Rhenus
Lambit humum, teſt is Thuſcis haud maximus undis,
Major prole virum, & divinos Arnus honores
Promeritus, coelum Diviſque recentibus augens;
Pulchros qui colles pulchramque interſecat urbem:
Gens quorum imperio diſpar nec legibus aequa
Illius in ſtudiis jandudum & amore quieſcit.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni
Jam non curarum, non commemorare laborum
Una potes? tolle egregium per ſaecula nomen,
Tolle decus; daque alta virum volitare per ora.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Quantum Trinacriae vertex ſe ſuſtulit Aetnae,
Aut cinctus ſtellis Atlas, aut Caucaſus ingens;
Tantum clara virum Romae ſe nomina tollunt.
Illa novos tibi coeleſtum conceſſit honores

Antiquis cumulans: at tu praeſentia ſaecla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Ecce tibi laeto veſtit ſe gramine tellus,
Et tibi ſilva comas nutrit; tibi pabula ſurgunt;
Foecundus mites implet tibi pampinus uvas;
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum ſpiſſo quem rete trahas, vel arundine longa,
Flexivagus noſtris creſcit tibi piſcis in undis.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe, quae tibi Parnaſi de colle ſorores
Dona ferunt, ſacram lauri de fronde coronam, (tas.
Et plectrum,& cytharā, ſcriptaſque ab Apolline char-
Aeternum quas ediſcant celebrentque minores.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Ut Phoebo, utque Jovi confectis Graecia luſtris
Sacra olim & pleno poſuit certamina campo;
Sacra tibi, ludoſque tibi ſic Itala tellus
Inſtituet; ſic illa tuo de nomine dicet.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe, quae calathis porgunt tibi munera Nymphae,
Luteolum calthae florem, caſiamque virentem,
Liliaque violaſque & purpureos hyacinthos;
Haud porxiſſe prius poterant: bella impia bella
Pertulimus, dulces & deformavimus agros.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
Ut cum letiferos accendit Sirius ignes,
Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipſa ſuos ſitiens foetus non educat arbos:
Intereunt fruges ſiliqua labente peruſtae:
Arva colit nemo ſiccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem,

Cun-

Cunćta jacent nimio coeli contuſa calore;
Triſtia ſic noſtris aderant prius omnia terris.
Volvite majores vaga flumina; volvite lymphas.
At poſtquam laetos effudit Juppiter imbres;
Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas:
Ipſa viret tellus, ripae colleſque niteſcunt;
Dant ſegetem ſulci, nemus altas ſufficit umbras:
Poma ſuos curvant creſcentia pondere ramos:
Ruris turba Deam venerata ligonibus udam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent coeli foecundis roribus aucta:
Noſtras ſic jucunda manent nunc omnia terras.
Volvite majores vaga flumina, volvite lymphas.
At vos in ſeptem diſcreti culmina montes,
Tuque Pater Tiberine, tuum qui flumen olympo
Devehis; hunc olim vobis multoſque per annos
Sit ſatis o tenuiſſe: meam mihi jam date partem.
Ipſe dabo multis, ne ſint mea gaudia ſola:
Et tandem noſtris juvenem concedite terris.

HYMNUS AD DIVUM STEPHANUM.

NAM quae te culpae, & ſceleris tam dira cupido
Infelix Solyme & ſaeclis damnanda futuris
Corripuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Ut juvenem patris aetherei praecepta canentem
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatum
Praeſtanti eloquio, teque ad meliora vocantem
Compita per mediaſque vias e moenibus urbis
Illuſum expuleris: tum caeca perdita mente
Concurſu preſſum ingenti, ſaxiſque petitum
Nudatos artus, ceu quondam grandine denſa
Juppiter ingeminans terram quatit aethere ab alto,

Crudelis letho dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido ſuſtollens lumina vultu
Luſtrabatque oculis coelum, intrepiduſque pericli
Laudabat ſuperos; & ſpe ſua damna levabat:
Cui ſe, quantus erat, manifeſta in luce videndum
Ipſe pater divum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum jam ſub fine laborum
Disjectus duro frontem, & cava tempora nimbo
Iret iter propius lethi; tamen hoſtibus ipſis
Pro ſcelere immani moriens, pro talibus auſis
Ah veniam ſuperos anima fugiente rogabat:
Placabat ſuperos hoſti jam frigida lingua.
Salve bis ſenis lectus parere magiſtris
Macte animo puer egregio, & praeſtantibus auſs,
Macte nece, & veris magnum decus addite divis.
Tu princeps ignominiam, plagaſque cruentas
Et longum memoranda nepotibus aſpera fata
Magnanimi poſt herois, quem candida partu
Coelicolum regi tecto ſub paupere nympha
Non ullam venerem, nullos experta hymeiaeos
Ediderat patrii flavas Jordanis ad undas;
Teſtis ades facti, ſacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferae terram conſpergis Idumes:
Et pulchrae inſolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxiſſe corona:
Unde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore ſacra quotannis
Rite damus; & thura tuis imponimus aris. (tur
Quod ſi ulla o votiſque hominum precibuſque movei
Numina; nec cunctis adeo ſtat perdere divis
Auſoniam, populoſque Italos, nomenque latinum,
Atque malis prope jam confectae moenia Romae;

San

Sanĉte veni; coetuſque tuos, tuaque aurea templa,
Laeti quae feſta velamus fronde per urbes,
Dexter adi; placiduſque animis illabere noſtris:
Ac primum miſeris bellorum, & caedis amorem
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
Tigrimque, Tanaimque ultra; & poſt ferre quiete
Sollicitos populi faſces, adjeĉtaque regnis
Regna ſuper, validoque undantia milite caſtra;
Et pacem venerari; & mitia vertere duris.
Dein peſtes ſcelerum tantorum, atque agmine longo
Multa odii concreta modis mala ſemina diris,
Infeĉtaſque diu labes, & crimina purga
Heu ſolito graviora; iraſque averte deorum.

PRO GORITIO VOTUM AD DEOS

QUIB. AEDICULAM EXAEDIFICAVERAT.

SAnĉta; quibus propriam poſuit Goritius aram
Numina, perpetuoſque arae ſacravit honores,
Humani columen generis divina puella,
Ipſe ſibi legit ſummi quam reĉtor olympi;
Et tu divinae genitrix auguſta puellae
Felix ſorte tua; felix nata, atque nepote;
Aethereique puer magnum patris incrementum;
Arte boni quos egregia coeloque Savini
Speĉtari Pario & ſpirare in marmore fecit;
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite; ſi ſacrorum unquam pia carmina vatum
Et caſtae movere preces coeleſtia corda,
Reddite, quae poſco, mea nec ſint irrita vota;
Ut quos longa dies miſeris mortalibus olim
Adveĉtat varios ſenio veniente labores,

Aegrum

Aegrum animum, & ſegnes effoeto in corpore ſenſus,
Inque ſolum pronos vultus, nixisque bacillum (bra:
Poplitibus, tardosque gradus, tremebundaque mem-
Tum crebras lacrimis cauſas, & dura ſuorum
Funera, & everſos mutata ſorte penates;
Quaeque alia ex aliis paſſim mala conſternatas
Implerunt terras cupidi poſt furta Promethei;
Horum ille immunis totos centum expleat annos
Auſpiciis ſuperi veſtris, & numine veſtro
Integer, ut nunc eſt; nec longae damna ſenectae
Sentiat: & charus patriae, jucundus amicis,
Dives opum Roma incolumi Latioque fruatur.

JULII SECUNDI PONTIFICATUS MAXIMUS.

ILLA Piis populis, mundoque accepta recenti;
Sub Jove cum nondum ferreus orbis erat,
Nec proſciſſa graves vertebant arva juvenci,
Vinea nec lacrimas falce reſecta dabat;
Mella ſed aeriae ſudabant roſcida ſilvae,
Et lac pro gelida flumen habebat aqua;
Nunc o nunc redit ad primos bona quercus honores;
Quos habuit, mundi cum tener orbis erat;
Quercus glande ſua quae quondam heroas alebat,
Cura Deum quercus ſancta, piumque nemus,
Dignaque Cecropiae pinguis cui ſilva Minervae
Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipſa ſuo laurus Phoebeja luco,
Inflaxaeque pedem Bacchica ſerta hederae;
Vel myrti Veneris, vel ſilvani cypariſſi,
Vel quae capripedi pinus amata Deo eſt.

Nam-

Namque boni mores noſtro rediere ſub aevo;
Ut primum poſito conſtitit illa ſitu;
Simplicitaſque inculta comam, rectique cupido,
Et lex, & probitas, & ſine labe fides:
Nec redit ad primos tantum bona quercus honores;
Quos habuit, mundi cum tener orbis erat.
Sed provecta ſolo nitidis caput inſerit aſtris,
Quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

LONGOLII EPITAPHIUM.

TE JUVENEM rapuere Deae fatalia nentes
Stamina; cum ſcirent moriturum tempore nullo
LONGOLI, tibi ſi canos, ſeniumque dediſſent.

LEONICI EPITAPHIUM.

NATURAE ſi quid rerum te forte latebat,
Id legis in magno nunc LEONICE Deo.

JACOBI SYNCERI SANNAZARI EPITAPHIUM.

DA ſacro cineri flores: hic ille Maroni
SYNCERUS muſa proximus, ut tumulo.

ANDREAE NAUGERII PATRICII VENETI

LUSUS.

ASPICE magna Ceres tibi quos ſemente peracta
 Ducimus agreſtes, ruſtica turba, choros.
Tu face, ne nimio ſemen putreſcat ab imbre:
 Neu ſulcos rapido frigore rumpat hyems.
Neu ſterilis ſurgat ſylva infelicis avenae:
 Et quaecunque bonis frugibus herba nocet:
Neu terrae proſtrata animoſi flatibus euri
 Decidat: aut denſa grandine laeſa ſeges:
Neu direpta avidae rapiant frumenta volucres:
 Monſtrave, quae terrae plurima ſaepe ferunt.
Sed quae credidimus bene cultis ſemina campis:
 Uberius largo foenore reddat ager.
Sic erit, interea nivei carcheſia lactis
 Fundite, & annoſo mella liquata mero.
Terque ſatas circum, felix eat hoſtia, fruges:
 Caeſaque mox ſanctos corruat ante focos.
Nunc ſatis haec. poſt meſſem alii reddentur honores,
 Et ſacras cingent ſpicea ſerta comas.

AURAE, quae levibus percurritis aera pennis,
 Et ſtrepitis blando per nemora alta ſono:
Serta dat haec vobis; vobis haec ruſticus Idmon
 Spargit odorato plena caniſtra croco.
Vos lenite aeſtum, & paleas ſeiungite inanes:
 Dum medio fruges ventilat ille die.

Ille

Ille tuus Pan montivage venator Iolas
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictuſque ſuum, exuviaſque leonum
Sacra tibi agreſtis munera pinus habet:
Nunc jam annis gravis haec devicti cornua cervi
Dedicat, imbelli congrua dona ſeni.
Cum tamen herculeae facta inter fortia clavae
Is quoque ſit laudem viſus habere labor.
Tu Dive haec inter viridis decora illa juventae
Suſcipe; ne ve illis eſſe minora puta.

HANC vitem, multa quae ſemper fertilis uva
Haud unquam domini fallere vota ſolet:
Nunc etiam large florentem, conſecrat ipſe
Vineti cultor Damis Iacche tibi.
Tu face Dive tua haec ſpem non fruſtretur; & hujus
Exemplo fructum vinea tota ferat.

LONGIUS a pecore errantem per devia taurum
Dum ſequitur nemorum per juga longa Lycon:
Errantem ſcopulo capream conſpexit ab alto;
Continuo certo dejicit hanc jaculo.
Mox etiam catulos ſola ſub rupe jacentes
Invenit; hos Crocali donat habere ſuae.
E' caprea in viridi ſtatuit convivia luco;
Addidit & veteris pocula multa meri.
Quod reliquum eſt, Pan ſemicaper cum cornibus ipſis
Suſpenſum e pinu hac tu tibi tergus habe.

VENATOR celerem moerens Augona Melampus
Confoſſum rapido dente ferocis apri:
Hac illi in ripa tumulum, frondente ſub umbra,
Erigit: hoc ipſo concidit ille loco.

Non

Non impune quidem praedo ſceleratus abivit:
Procubuit jaculis caeſus & ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus praeſtantior Augon,
Fide Augon, ſilvis qui modo terror eras:
Tu dilecte jaces. ſed ab alta hac faſcia pinu
Milluſque, & millo vincula juncta ſuo:
Quin deciſa feri cervix tibi pendeat hoſtis:
Sintque una ex animo ſigna dolentis heri.

ET GELIDUS fons eſt: & nulla ſalubrior unda:
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent ſoles frondentibus alni:
Et levis in nullo gratior aura loco eſt:
Et medio Titan nunc ardentiſſimus axe eſt:
Exuſtuſque gravi ſidere fervet ager.
Siſte viator iter: nimio jam torridus aeſtu es:
Jam nequeunt laſſi longius ire pedes.
Accubitu langorem, aeſtum aura, umbraque virenti,
Perſpicuo poteris fonte levare ſitim.

ANTE canes omnes paſtori carus Amyntae
Nuper ab illyrico littore miſſus Hylax,
Dum ſolitas agit excubias, & ſepta tuetur:
Nec vigilant ſocii caetera turba canes:
Qua rapidus ſe ſe media inter ſaxa Timavus
Mergit, & inde iterum proſilit amne novo:
Ille quidem ſaeva vitulos tutatus ab urſa eſt:
Ipſe ſed ingenti vulnere caeſus, obit:
Conſtituit viridi tumulum de caeſpite Amyntas:
Haec voluit raram praemia habere fidem.
Moeſta gemunt armenta: mali fureſque, lupique
Extincto hoc ſibi jam cuncta licere putant.

DAT

DAT Cereri has Teleſon ſpicas, haec ſerta Lyeo,
Haec nivei lactis pocula bina, Pali.
Pro quibus arva Ceres, vites foecundet Iacchus:
Sufficiat pecori pabula laeta Pales.

ILLI in amore pares, vicini cultor agelli
Thyrſis, cumque ſuo Thyrſide fida Nape,
Ponimus hos tibi Cypri immortales amaranthos
Liliaque in ſacras ſerta parata comas:
Scilicet exemplo hoc, nullo delebilis aevo
Floreat aeternum fac Dea noſter amor.
Sit purus, taliſque utriuſque in pectore candor,
In foliis qualem lilia cana ferunt.
Utque duo hi flores ſerto nectuntur in uno,
Sic animos nectat una cathena duos.

CANDIDA Niconoë viduae ſpes una Terillae
Montivagas jaculo figere certa feras,
Hunc tibi ſilvipotens arcum Latonia ponit,
Atque haec in pharetra condita tela ſua.
Illam cara parens tenero ſociavit Icaſto:
Ignotique jubet jura ſubire tori.
Tu dea, ſi ſilvis aegre diſcedit ab altis:
Si lacrimans coetus deſerit illa tuos:
Tu bona ſis, felixque illi: tu numine dextro
Optata laetam fac dea prole domum.

QUAE duo fert collis foecundi vinitor Acmon
Expreſſi primum cymbia plena meri:
Haec avidis muſti ſatyris, muſtique parenti
Dat jucunde tibi vitis Iacche ſator.
Illi illaeſa ſuis linquant vineta rapinis:
Tu tua fac largis auctibus uva fluat.

HAS

HAS Vulcane dicat ſilvas tibi villicus Acmon:
Tu ſacris illas ignibus ure pater.
Creſcebant ducta e Stati propagine ſilvis:
Jamque erat ipſa bonis frugibus umbra nocens.
Ure ſimul ſilvas: terra ſimul igne ſoluta
Fertilior largo foenore meſſis eat.
Ure iſtas, phrygio nuper mihi conſita colle
Fac pater a flammis tuta ſit illa tuis.

OPPOSITAE obſtabant noſtris prius auctibus aedes:
Nec nos coelum ulla, ſölve juvabat ope:
Disjectis herus his, ſolemque admiſit: & aura
Conceſſit nobis liberiore frui:
Hinc nos in tenues certatim tollimur auras;
Ornarmurque novae frondis honore caput.
At tibi, cui ſacris muſarum & Apollinis umbris
Extructas libuit poſthabuiſſe domos:
Perpetuo ſimiles noſtris ſint frondibus anni:
Nobiſcum augeſcant & tibi cuncta bona.

QUEM toties vixiſſe anima redeunte renatum
Mutato fama eſt corpore Pythagoram:
Cerne iterum ut docti coelo generatus Aſylae
Vivat; ut antiquum ſervet in ore decus.
Dignum aliquid certe voluit: ſic fronte ſevera eſt:
Sic in ſe magno pectore totus abit.
Poſſet & ille altos animi depromere ſenſus:
Sed veteri obſtrictus religione, ſilet.

JAM coeli reſerat fores
Aurato e thalamo exiens
Mater Memnonis; & diem
Leto provocat ore.
Nos te maxime maximi

Mini-

Miniſter canimus patris;
Quo nullus qui hominum genus
Tam praeſens juvet, uſquam eſt.
Tu noſtras celer ad preces,
Aures protinus ad Deum has
Defers; nec tenues ſinis
Evaneſcere in auras.
Tu, dum fers nova nuntia
Virgini aethereo patri
Dilectae, quibus indicas
Magni vota tonantis.
Nobis fers nova nuntia:
Quis e faucibus impii
Erepti hoſtis, in aurea
Coeli templa vocamur.
Adſis o bone, & in dies
Semper nos propius juva:
Nec patrocinio tuo
Unquam mitte tueri.

URBS, quam vetuſto vectus ab Ilio
Poſt fata Troum triſtia, poſt graves
Tot patriae exhauſtos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
Diis fretus Antenor ſecundis
Condidit Euganeis in oris.
Tu nuper & flos, & decus urbium,
Quaſcunque tellus Itala continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & ſtudia una alebas.
Te ſepticornis Danubii accola,
Te fulva potant flumina qui Tagi,

Longeque ſemoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc, acerbi heu ſaeva neceſſitas
Fati, ſeveras ut pateris vices;
Ut te ipſe vaſtatam vel hoſti
Conſpicio miſerandam iniquo.
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hauſta ſuburbia?
Quid glande deturbata ahena
Moenia? praecipitemque ſaevi
Mavortis iram? bellaque perſequar
Horrenda? ſquammis ille adamantinis,
Ferroque conſertam rigenti
Induerat chlamydem trilicem.
Fremenſque, & atrum lethifera manu
Telum coruſcans, ſecum odia, & necis
Contemptum, & inſanos tumultus,
Secum animos, rabiemque agebat.
Ille urbe ab imis ſedibus eruta
Impleſſet omnes funeribus domos:
Non ille vel ſexu, vel ullo
Efferus abſtinuiſſet aevo.

DIA Tithoni ſenioris uxor,
Quae diem vultu radiante pandis;
Cum genas effers roſeas rubenti
praevia Soli.
Roſcidos ut nunc per agros vagari
Sub tuo adventu juvat; & recentes,
Quae tuos ſemper comitantur axes,
excipere auras.
Sicca jam ſaevus calor uret arva,
Jam vagi aurarum levium ſileſcent

Spiritus

Spiritus, jam Sol rapidus furentes
exeret ignes.
Dum licet, laeti ſimulite amantes,
Dum licet, molles pariter puellae
Ite flaventes vario capillos
nectite ſerto.
Nunc ſimul telis poſitis amores
Matris haerentes lateri, & decentes
Gratiae plenos referunt reſecto
flore quaſillos.
Per feros ſaltus, per iniqua luſtra
Undique occultas agitans latebras
Fertur, & ſilvas varia ferarum
ſtrage cruentat,
Clara Latonae ſoboles, nitenti
Huic comae in nodum religantur auro,
Pendet aurata ex humeris pharetra,
pendet & arcus.
Circum eunt nymphae ſimul, illa curſu
Gaudet effuſos agitare cervos,
Hanc juvat certis jaculis fugaces
figere lyncas.
Nunc ab umbroſo ſimul aeſculeto
Daulias late queritur, querelas
Conſonum circa nemus, & jocoſa
reddit imago.

QUID magis adverſum bello eſt? belliqie tumultu
Quam Venus? ad teneros aptior illa jocos.
Et tamen armatam hanc magni pinxere Lacones,
Imbellique data eſt bellica parma Deae.
Quippe erat id ſignum forti Lacedaemone natum,
Saepe & foemineum bella decere genus.

Sic quoque non quod ſim pugna verſatus in ulla,
Haec humeris pictor induit arma meis. (quo
Verum hoc quod bello, hoc patriae quod tempore ini-
Ferre vel imbellem quemlibet arma decet.

BORGETTUS lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et luſus herus ipſe tantum amabat,
Quantum tale aliquid poteſt amari.
Nec mirum dominum ſuum ipſe norat,
Caram bima velut puella matrem,
Et nunc illius in ſinu latebat,
Nunc blande aſſiliebat huc & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipeſque,
Menſae aſtabat herili, heroque ab ipſo
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido maloque fato
Ad manes abiit tenebricoſos.
Miſelle o canis, o miſer catelle
Nigras parvulus ut timebis umbras:
Ut ſaepe & dominum tuum requires:
Cui pro deliciis, jociſque longum
Heu deſiderium tui relinquis.

VOS mihi nunc magnos partus, ortuſque beatos
Felicis pueri, quo pinguia culta vetuſti
Naonis exultant, quo Carnia tota ſuperbit,
Dicite pierides. Vos illum e matre cadentem
Excepſtiſque ſinu: & veſtris foviſtis in ulnis,
Et teneram molli cinxiſtis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has acceſſiſtis ad oras,
Nec ſolae veniſtis ad haec vos munera Muſae,

Affuit

Aſſuit ipſa etiam pariter, ſpargenſque ſalubres
Pyxidos arcanae ſuccos, partuſque dolores
Leniit, & matrem foetu Lucina levavit.
Aſſuit Idalio veniens e colle Dione,
Nectare odorato crines perfuſa fluentes;
Aſſuetaeque leves Charites ductare choreas.
Hae ſimul ambroſia puerum lavere liquenti,
Et parvas tenui cunas ſtravere lyguſtro:
Venit & undifluis properans Naucelus ab antris;
Quem prope coeruleo e fluctu formoſa Metune
Ibat, eos circum violaſque roſaſque rubentes
Vimineis nymphae calathis, & ſerta ferebant
Purpureo e narciſſo, atque auricomo chryſantho.
Quae poſtquam totas paſſim ſparſere per aedes,
Jucundoque domus late fragravit odore,
Protinus ecce Jovis magni de limine Parcae,
Antiquae Parcae, niveo queis corpora amictu,
Canaque Chaonia velantur tempore quercu. (na
Hae poſtquam & matrem complexae, & fronte fere-
Oſcula junxerunt parvo felicia nato,
Candida verſato torquentes vellera fuſo,
Fatidico tales fuderunt pectore voces.
O fauſto nimium coelo, diviſque benignis,
Nate puer, creſce, & dulces ſolare parentes,
Et fatis laetare tuis. tuque optima mater,
Tuque boni genitor pueri, quos omine dextro
Caſtus hymen quondam thalamo ſociavit in uno,
Accipite haec laetis animis, neu poſſe moveri
Credite, quae vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico ſe tollit amaracus horto,
Quam ſtudio ſolers omni formoſa puella
Ipſa ſuos alit in luſus, & lenibus undis
Irrigat; illa levis paulatim ſurgit in auras

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pulchrior, & dulcem late diffundit odorem:
Si puer augeſcens primo ſe tollet in aevo,
Nec ſe quiſquam illi formoſo conferet ore.
Mox ubi jam validus teneris exceſſerit annis,
Tunc illum ſacras artes, doctaeque docebunt
Aonides, princepſque chori formoſus Apollo,
Illi & divini latices Aganippidos undae,
Et virides Hemi ſaltus, Pindique patebunt.
Mars quoque bellipotens ſimul, & Tritonia virgo
Muneribus bellorum & ſaevis inſtruet armis.
Doctior haud illo quiſquam ſeu cominus enſe,
Seu ſit opus valida concurrere longius haſta, (nis,
Sive inflectere equum, atque arctis compeſcere habe-
Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
O quoties medio ferventem in turbine belli
Converſae fugient acies: at percitus ille
Obvia quaeque metet infeſto corpora ferro.
Non ſecus ac praeceps hyberno flumine torrens,
Cum tumidus late, ac pluviis hyemalibus auctus
Proruit adverſas inſano vortice ſilvas,
Obſtanteſque trahit ripas, campoſque per omnes
Cum ſonitu ruit, & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer, nunquam non victor in hoſtem
Bella geres, magnique aequabis facta parentis.
Ille olim magnos Gallorum ſtravit acervos,
Italaque hoſtili manarunt arva cruore,
Tum, cum caeſa virum ſerpens per corpora Lyris
Aequoreas curſum vix tandem invenit in undas.
Ille idem gelida cum gens immanis ab arcto
Auſonios paſſim ſeſe effudiſſet in agros,
Audaces animos ingenti ſtrage repreſſit,
Alpinaſque nives Germano ſanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto foedere Gallos
In

In latios iterum fines, praedamque ruentes
Proteret, & victos (divinis credite parcis)
Italia expellet, coeloque aequabit honores.
At tu, ſiqua tuo reſtabunt bella parenti,
Auſoniam infenſo nec dum pacarit ab hoſte,
Ipſe tua fidens animi virtute ſubibis
Haec primum, mox externas egreſſus in oras
Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce & Auſoniae rurſum rediviva reſurget
Gloria, & antiquum late victricibus armis
Reddetur Latio imperium. tua ſigna timebunt
Una omnes paſſim populi, quaque incidit alto
Aequore, & oceano ferventes abluit axes,
Quaque coloratis effert ſe Phoebus ab Indis,
Tum demum placida contentus pace quieſces,
Saevaque miteſcet poſito diſcordia ferro.
Aurea tum veniet ſaeclis melioribus aetas,
Feliceſque anni, & Saturnia regna redibunt,
Tum pax alma colet terras, Aſtreaque virgo,
Immerſumque gemet ſtygio ſcelus omne baratro.
Felices, qui tam laeto naſcentur in aevo.
Tu vero ante alias ſuperis gratiſſima tellus,
Quam tanto divum genitor dignatur alumno,
Tu nitidas paſſim fruges, arbuſtaque laeta,
Sponte tua, nulloque hominum cogente labore
Produces, humiles ſudabunt mella geniſtae,
Incultique ferent candentia lilia vepres.
Finierant parcae, tum Juppiter aethere ab alto
Intonuit laevum, & coeli de parte ſerena
Perſpicuus multo fulgor cum lumine fulſit.

EX PHILEMONE.

SI QUID remedi lacrimae afferrent malis,
Minorque ſemper fieret lugenti dolor,
Auro parandae lacrimae nobis forent.
Sed nil here iſtaec proſunt, res ipſae nihil
Moventur iſtis, ſive tu ſemper fleas,
Seu nunquam, eandem pergere inſiſtent viam.
Quid his juvamur ergo? nil certe, at dolor
Ut ipſa fructus arbor, ſic lacrimas habet.

EX MENANDRO.

NAM SI te alumne genitrix cum peperit tua,
Hac ſorte es unus omnium in lucem editus,
Tibi cuncta ut evenirent quae velles bona,
Idque annuit magnorum quiſpiam Deum,
Jure optimo indignaris, valde enim is tibi
Fallax repertus. quod, ſi eiſdem legibus
Quibus nos omnes (tragicis ut verbis loquar)
Aeque patentem cunctis aerem trahis,
Ferenda ſunt haec levius, & omnis rectius
Ratio habenda. denique haec ſumma eſt, puta
Hominem eſſe te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemque deprimi citius ſolet.
Ipſumque id haud injuria, minimarum enim
Id virium eſt, & maximis ſemper ſtudet,
Plurimaque ſecum commoda conterit cadens.
Tu vero & magna non amiſiſti bona,
Et mediocria ſunt ipſa ea, quae pateris mala.
Ergo & modeſte alumne quod reliquum eſt feras.

SALVE cura Deum, mundi felicior ora,
Formoſae Veneris dulces ſalvete receſſus,
Ut vos poſt tantos animi, mentiſque labores
Aſpicio, luſtroque libens, ut munere veſtro
Sollicitas toto depello e pectore curas.
Non aliis Charites perfundunt candida lymphis
Corpora, non alios contexunt ſerta per agros.

BALTHASSARIS CASTILIONI CARMINUM

ALCON.

EREPTUM fatis primo ſub flore juventae
Alconem, nemorum decus, & ſolatia amantum;
Quem toties Fauni, & Dryades ſenſere canentem,
Quem toties Pan eſt, toties miratus Apollo,
Flebant paſtores; ante omnes carus Iolas
Triſtia perfundens lacrimis manantibus ora,
Crudeles ſuperos, crudeliaque aſtra vocabat;
Ut gemit amiſſos foetus Philomela ſub umbris,
Aut qualis ſocia viduatus compare turtur,
Quam procul incautam quercu ſpeculatus ab alta
Immitis calamo paſtor dejecit acuto;
Non viridi ſedit ramo, non gramine laeto,
Non vitrei dulcem libavit fluminis undam;
Sed gemitu amiſſos tantum teſtatus amores,
Languidulus moeſtis complet nemora alta querelis.
Nulla dies miſerum lacrimis ſine vidit Iolam,
Nec cum ſol oritur, nec cum ſe condit in undis;

Non illi pecudes, non pingues paſcere tauros
Cura erat, aut paſtos ad flumina ducere potum,
Hoedorumve gregem, aut vitulos includere ſeptis.
Tantum inter ſilvas, aut ſolo in littore ſecum
Perditus, & ſerae oblitus decedere nocti,
Rupibus haec fruſtra, & ſurdis jactabat arenis.
Alcon deliciae Muſarum, & Apollinis, Alcon
Pars animae, cordis pars Alcon maxima noſtri,
Et dolor, his lacrimas oculis habiture perennes,
Quis Deus, aut quis te caſus miſer abſtulit? ergo
Optima quaeque rapit duri inclementia fati?
Ergo bonis tantum eſt aliquod male numen amicum?
Non metit ante diem lactentes meſſor ariſtas:
Immatura rudis non carpit poma colonus;
At fera te ante diem mors nigro immerſit averno,
Injecitquo manus rapidas creſcentibus annis.
Heu miſerande puer, tecum ſolatia ruris,
Tecum amor, & Charites periere, & gaudia noſtra;
Arboribus cecidere comae, ſpoliataque honore eſt
Silva ſuo; ſolitaſque negat paſtoribus umbras;
Prata ſuum amiſere decus, morientibus herbis
Arida; ſunt ſicci fontes, & flumina ſicca.
Infoecunda carent promiſſis frugibus arva;
Et mala creſcentes rubigo exedit ariſtas.
Squallor triſtis habet pecudes, pecudumq; magiſtros,
Impaſtus ſtabulis ſaevit lupus; ubere raptos
Dilaniatque ferus miſeris cum matribus agnos;
Perque canes praedam impavidus paſtoribus aufert;
Nil niſi triſte ſonant, & ſilvae, & paſcua, & amnes,
Et liquidi fontes, tua triſtia funera flerunt
Et liquidi fontes, & ſilvae, & paſcua, & amnes.
Heu miſerande puer, tangunt tua funera Divos.
Per nemora agricolae flentes videre Napeas,

Panaqueo

Panaquo ſilvanumque, & capripedes Satyriſcos,
Sed neque jam lacrimis, aut queſtu fata moventur
Impia, nec noſtras audit mors ſurda querelas.
Vomeribus ſucciſa ſuis moriuntur in arvis
Gramina, deinde iterum viridi de ceſpite ſurgunt,
Rupta ſemel non deinde anne&tunt ſtamina Parcae.
Aſpice, decedens jam Sol declivis Olympo
Occidit, & moriens accendit ſidera coelo;
Sed tamen occiduo cum laverit aequore currus,
Idem iterum terras orienti luce reviſet.
Aſt ubi nigra ſemel durae nos flumina mortis
Lavere, & clauſa eſt immitis janua regni,
Nulla unquam ad ſuperos ducit via; lumina ſomnus
Urget perpetuus, tenebriſque involvit amaris;
Tunc lacrimae incaſſum, tunc irrita vota preceſque
Funduntur; fert vota Notus, lacrimaſque preceſque.
Heu miſerande puer fatis ſurrepte malignis,
Non ego te poſthac paſtorum aſtante corona
Victorem aſpiciam volucri certare ſagitta;
Aut jaculo, aut dura ſocios ſuperare palaeſtra;
Non tecum poſthac molli reſupinus in umbra
Effugiam longos aeſtivo tempore Soles;
Non tua vicinos mulcebit fiſtula montes,
Docta nec umbroſae reſonabunt carmina valles;
Non tua corticibus toties inſcripta Lycoris,
Atque ignis Galatea meus nos jam ſimul ambos
Audierint ambae noſtros cantare furores,
Nos etenim a teneris ſimul uſque huc viximus annis,
Frigora, pertulimuſque aeſtus, noteſque dieſque;
Communique ſimul ſunt parta armenta labore;
Rura mea haec tecum communia. viximus una;
Te moriente igitur cur nam mihi vita relicta eſt?
Heu male me ira Deum patriis abduxit ab oris,

Ne manibus premerem morientia lumina amicis,
Aut abeuntis adhuc ſupremũ animae halitũ in auras
Exciperem ore meo, gelidis atque oſcula labris.
Invideo Leucippe tibi, ſuprema dolenti
Deficiens mandata bonus tibi praebuit Alcon;
Spectavitque tuos morienti lumine vultus,
Frigida tu moeſto impoſuiſti membra pheretro,
Sparſiſti & lacrimis buſtum, ingratumque ſepulcrum.
Inde ubi defletum ſatis eſt, & juſta peracta,
Alconem ad manes felix comes uſque ſecutus,
Amiſſo vitam ſocio non paſſus inertem es;
Et nunc Elyſia laetus ſpaciaris in umbra,
Alcone & frueris dulci, aeternumque frueris,
Atque aliquis forſan paſtor pius oſſa ſepulcro
Uno eodemque ſimul florentis margine ripae
Amborum ſacro manes veneratus honore
Compoſuit, lacrimaſque ambobus fudit eaſdem,
Aſt ego nec triſtes lacrimas in funere fudi,
Debita nec miſero perſolvi juſta ſodali.
Quin etiam ſortis durae, ignaruſque malorum
Vana mihi incaſſum fingebam ſomnia demens.
Haec ego rura colam celeberrima, tum meus Alcon
Huc veniet linquens colles, & inhoſpita ſaxa,
Infectaſque undas, & pabula dira veneno;
Molliaque inviſet prata haec, fluvioſque ſalubres.
Occurram longe, & venientem primus amicum
Agnoſcam, primus caris complexibus ora
Impediam, excutient hilares nova gaudia fletus,
Sic tandem optato laeti ſermone fruemur;
Aerumnaſque graves, olim & tranſacta viciſſim
Damna referre ſimul, rurſuſque audire juvabit,
Tum veteres ſenſim fando repetemus amores,
Deliciaſque inter paſtorum, & dulcia ruris

Otia,

Otia, ſecurae peragemus tempora vitae.
Haec amat arva Ceres, juga Bacchus, paſcua Apollo,
Ipſa Pales herbas pecori, lac ſufficit agnis;
Montibus hic paſſim tenerae aſſuevere Napeae
Saepe feras agitare, & ſaepe agitare choreas;
Hic redolens ſacros primaevae gentis honores,
Perluit antiquas Tyberis decora alta ruinas;
Hic umbrae nemorum, hic fontes, hic frigida Tempe;
Formoſum hic paſtor Coridon cantavit Alexin.
Ergo ades o dilecte puer: te paſcua, & amnes
Exſpectant; tibi jam contexunt florea ſerta,
Adventuque tuo teſtantur gaudia Nymphae;
Summittitque novos tellus tibi Daedala flores.
Haec ego fingebam miſer, ah ſpe ductus inani,
Neſcius omne nefas mori fatiſque licere.
At poſtquam fruſtrata leves abiere per auras
Vota mea, & vivos Alconis cernere vultus
Non licuit, vivaſque audire & reddere voces;
Huc ſaltem, o ſaltem umbra levi per inania lapſu
Advolet, & noſtros tandem miſerata dolores
Accipiat lacrimas, imo & ſuſpiria corde
Eruta, quaſque cava haec reſponſant antra querelas.
Ipſe meis manibus ripa hac Anienis, inanem
Conſtituam tumulum, noſtri ſolatia luctus,
Atque addam pia thura focis, maneſque ciebo.
Vos mecum o pueri bene olentes ſpargite flores,
Narciſſum, atque roſas, & ſuave rubentẽ Hyacinthũ,
Atque umbras hedera, lauroque inducite opacas,
Nec deſint caſiae, permixtaque cinnama amomo,
Excitet ut dulces aſpirans ventus odores.
Nos Alcon dilexit multum, & dignus amari
Ipſe fuit nobis, & tali dignus honore
Interea violas intertexent Amaranthis,

Et

Et tumulo ſpargent flores & ſerta Napeae;
Et tumulo moeſtae inſcribent miſerabile carmen.
Alconem poſtquam rapuerunt impia fata,
Collacrimant duri montes, & conſitus atra eſt
Nocte dies, ſunt candida nigra, & dulcia amara.

CLEOPATRA.

MARMORE quiſquis in hoc ſaevis admorſa colubris
Brachia, & aeterna torpentia lumina nocte
Aſpicis, invitam ne crede occumbere letho.
Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
Regina ut veherer celebri captiva triumpho,
Scilicet, & nuribus parerem ſerva Latinis
Illa ego progenies tot ducta ab origine rerum,
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
Delitiis fovitque ſuis Aegyptia tellus,
Atque oriens omnis Divam dignatus honore eſt.
Sedulitas, pulchraeque necis generoſa cupido
Vicit vitae ignominiam, inſidiaſque tyranni.
Libertas nam parta nece eſt, nec vincula ſenſi,
Umbraque tartareas deſcendi libera ad undas,
Quod licuiſſe mihi indignatus perfidus hoſtis,
Saevitiae inſanis ſtimulis exarſit, & ira,
Nanque triumphali invectus capitolia curru,
Inſignes inter titulos, genteſque ſubactas,
Extinctae infelix ſimulacrum duxit, & amens
Spectaclo explevit crudelia lumina inani,
Neu longaeva vetuſtas facti famam aboleret,
Aut ſeris mea ſors ignota nepotibus eſſet,
Effigiem excudi ſpiranti e marmore juſſit,
Teſtari & caſus fatum miſerabile noſtri.
Quam deinde, ingenium artificis miratus Iulus

Egre-

Egregium, celebri viſendam ſede locavit
Signa inter veterum Heroum, ſaxoque perennes
Suppoſuit lacrimas, aegrae, ſolatia mentis;
Optatae non ut deflerem gaudia mortis,
(Nam mihi nec lacrimas laetali vipera morſu
Excuſſit, nec mors ullum intulit ipſa timorem)
Sed charo ut cineri, & dilecti conjugis umbrae
Aeternas lacrimas, aeterni pignus amoris
Moeſta darem, inferiaſque inopes, & triſtia dona.
Has etiam tamen infenſi rapuere Quirites.
At tu magne LEO Divum genus, aurea ſub quo
Saecula & antiquae redierunt laudis honores,
Si te praeſidium miſeris mortalibus, ipſe
Omnipotens Pater aetherio demiſit Olympo;
Et tua ſi immenſae virtuti eſt aequa poteſtas,
Munificaque manu diſpenſas dona Deorum,
Annue ſupplicibus votis; nec una precari
Me ſine, parva peto, lacrimas Pater optime redde,
Redde oro fletum, fletus mihi muneris inſtar,
Improba quando aliud nil jam fortuna reliquit.
At Niobe auſa Deos ſcelerata inceſſere lingua,
Indueri t licet in durum praecordia marmor,
Flet tamen, aſſiduuſque liquor de Marmore manat:
Vita mihi diſpar, vixi ſine crimine, ſi non
Crimen amare vocas, fletus ſolamen amantum eſt.
Adde, quod afflictis noſtrae jucunda voluptas
Sunt lacrimae, dulceſque invitant murmure ſomnos.
Et cum exuſta ſiti Icarius canis arua perurit,
Huc potum veniunt volucres, circumque, ſupraque
Frondibus inſultant; tenero tum gramine laeta
Terra viret, rutilantque ſuis poma aurea ramis;
Hic ubi adoratum ſurgens denſa nemus umbra
Heſperidum dites truncos non invidet hortis.

PRO

PROSOPOPOEJA LUDOVICI PICI MIRANDULANI.

CREDITE mortales animae poſt facta ſuperſunt,
  Diraque mors noſtri nil niſi corpus habet.
Fabula nec manes vana eſt exire ſepulcris
  Per noctem, tenebris & volitare vagos.
Nam modo, dum noſtro Mirandula milite cincta eſt,
  Vidi ego vera quidem, ſed caritura fide.
Nox erat, & noctem ſuperans candore nivali
  Clara repercuſſo lumine Luna magis.
Ipſe ego ſub muri foſſa defenſus opacâ
  Scrutabar, tutum qua magis eſſet iter.
Aſtitit hic ſubito manifeſtus moenibus ipſis,
  Ante oculos PICUS viſus adeſſe meos.
Triſtis eret facies, atroque inſperſa cruore,
  Et lacerum ambuſto tunc quoque crine caput.
Obſtupui, geliduſque tremor per membra cucurrit,
  Et ſubito arrecta eſt hirta timore coma.
Ille autem toruum deſpectans caſtra, repente
  Infremuit, gemitu ſolvit & ora gravi.
O Pater, o paſtor populorum, o maxime mundi
  Arbiter, humanum qui genus omne regis,
Juſtitiae, paciſque dator, placidaeque quietis,
  Credita cui ſoli eſt vita ſaluſque hominum,
Quem Deus ipſe herebi fecit, coelique potentem,
  Ut nutu pateant utraque regna tuo;
Quid potui tantum infelix committere? culpa
  Aut mea quae nam in te tam gravis eſſe poteſt?
Ut patriam, natumque mecum, uxoremque, lareſque,
  Perdere; & excidio vertere cuncta velis?

Ceret

Certe ego te propter, caput objectare periclis,
  Nec timui toties velle ſubire necem;
Felſina cum imperium jam detrectaret, & in te
  Triſtia civilis ſumeret arma furor,
Haec mea dextra tuos armis compeſcuit hoſtes,
  Et laeto multos ſanguinolenta dedit.
Denique dum innumeris cupio te ornare triumphis,
  Sanguinis ipſe mei prodigus, occubui.
Vulnera teſtantur noſtros haec ſaeva labores,
  Implorantque tuam, nomen inane, fidem.
Flens tener in cunis vagitu natus amaro
  Pollicitis queritur pondus abeſſe tuis.
Tot perpeſſa graves conjux miſeranda labores,
  Supplicibus veniam moeſta petit lacrimis.
Stant miſeri ſquallore patres, trepidaeque puellae,
  Et matrum paſſis flet pia turba comis.
Omnes in te animum jam convertere, rogantque
  Ut tua det feſſis dextera rebus opem.
Aſpice captivis vacuos cultoribus agros,
  Abductas pecudes, agricolaſque, boves,
Disjectaſque domos paſſim, populataque raptis
  Arboribus late, & frugibus arva ſuis.
Tu vero ulterius lacrimis dulciſſima coniux
  Et gemitu manes laedere parce meos,
Poſtquam nulla poteſt mitis clementia dirae
  Conſilium mentis flectere, nec pietas.
Effuge, quodque unum eſt noſtri tibi pignus amoris,
  Dulce onus, hinc ulnis fer puerum ipſa tuis.
Nec mea diſcedens ſaxo hic clauſa oſſa relinque
  Condita, ſed charo tecum habeas gremio,
Ne rabie immani, tumulo ſint eruta avito,
  Et jaceant media ſemiſepulta via.
Haec ſperanda mihi; poſtquam ſectatur & umbram,

Saevit & in cineres mens male grata meos;
Nec ſinit inferias, noſtro te ferre ſepulcro,
Annuaque extincto reddere juſta viro.
Sed tamen & ſuperi cernunt mortalia, habetque
Juſtitiae ultorem dextra minax gladium;
Inque malos, ſit lenta licet, certa ira deorum eſt,
Poenaque tam gravior, quam mage ſera venit.
Nec longum noſtro laetabitur impius hoſtis
Sanguine, fata illum non leviora manent.
Haec ille, & plura his, ſed verba extrema loquentis
Terribilis noſtra rupit in aure ſonus.
Nam ſubito, ingenti tormenta impulſa ruina
Increpuere, gravi terra tremit ſonitu.
Fluminei ingeminant ictus, volat impete diro
Ferrea ſulphureo concita ab igne pila.
Moenia tum nutant labefacta; at triſtis imago
In tenebras querulo moeſta abiit gemitu.

DE MORTE RAPHAELIS PICTORIS.

QUOD lacerum corpus medica ſanaverit arte,
Hippolytum, ſtygiis, & revocarit aquis,
Ad ſtygias ipſe eſt raptus Epidaurius undas
Sic precium vitae mors fuit artifici.
Tu quoque dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro Raphael ingenio,
Atque urbi lacerum ferro, igni, anniſque cadaver,
Ad vitam, antiquum jam revocaſque decus,
Moviſti ſuperum invidiam, indignataque mors eſt,
Te dudum extinctis reddere poſſe animam;
Et quod longa dies paulatim aboleverat, hoc te
Mortali ſpreta lege parare iterum.
Sic miſer heu prima cadis intercepte juventa,
Deberi & morti noſtraque noſque mones.

DE

DE PAULLO CANENTE.

DULCIA dū pulcher modulatur carmina PAULLUS,
Demulcet colles & mea Roma tuos,
Adcurrere ſimul Dryades, faunique bicornes;
Ora immota truces & tenuere ferae.
Tybris harundineo glaucum caput extulit alveo,
Et ſtupefacta novo reſtitit unda ſono.
Tum vocem numerumque, inquit, miratus Apollo;
Orpheus Elyſia valle meus rediit.
Sed faciem ut vidit pueri, ſacrumque decorem
Certe, ait, hic proles eſt Cytherea tua.
Saeve puer tentas me vincere voce, lyraque;
An viciſſe arcu eſt gloria viſa levis.

SEMIANIMEM in muris mater Piſana puellam
Dum fovet, & tenero pectore vulnus hiat,
Nata tibi has, dixit, taedas, atque hos Hymenaeos;
Haec defenſa tuo moenia marte dabunt.
Cui virgo, haud alias taedas, alioſve Hymenaeos
Debuit haec nobis grata rependere humus.
Hanc ego ſola meo ſervavi ſanguine terram,
Haec ſervata meos terra tegat cineres.
Quod ſi iterum ad muros accedet Gallicus hoſtis,
Pro patria arma iterum haec oſſa ciniſque dabunt.

EPITAPHIUM GRATIAE PUELLAE.

SISTE viator, ni properas, hoc aſpice marmor;
Et lege, ni ploras, tu quoque marmor eris.
Gratia (nanque Deas etiam mors ſaeva prophanat)
Mortua, & hoc duro eſt condita ſub tumulo.

Abſtulit haec moriens geminas miſeranda ſorores,
Sic Charites uno tres periere obitu.

EPITAPHIUM QUINTERII.

ME LONGE effigie venuſtiorem
Narciſſi, vel Apollinis comati
Parcarum Lacheſis nimis ſevera
Iſti Quinterium dedit ſepulcro.
Cur non floſculus exeam, requiris,
Cum tantum fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis arida o viator
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lacrimulis tuis madeſcet,
Forſan flos novus ibit e ſepulcro.

AD NAUGERIUM, ET JO: BAPTISTAM TURRIANUM.

JAM VALETE boni mei ſodales
NAUGERI optime, tuque amice TURRI,
Vere candidi, & optimi ſodales,
Quos nunquam ſat amaverim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipſum amarim,
Quibus perpetuum frui per aevum,
Vota ſi mea dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum eſt,
Una ſi liceat mihi beatis
Veſtri colloquiis adeſſe BEMBI.
Verum dura neceſſitas repugnat,
Invitumque alias adire terras

Cogit,

Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo eſſe veſtri
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animae meae relinqui,
Jam valete boni mei ſodales.

DE VICTORIA LIVIANI.

O QUAE alma grato carmine fortium
Mori Thalia facta vetas virum,
Nunc & per ora LIVIANUM
Omnium, & omne feras per aevum:
Dic, ut ſuperbae contuderit minas
Germaniae, atque a Caeſare barbaro
Feſſae tot annos imminentem
Auſoniae arcuerit ruinam.
Nam quis malorum ehu veterum memor
Non expavebat? cum populos truces
In nos remotis uſque ab oris,
Qua glacie riget Amphitrite,
Audiret armari: aſperaque alpium
Jam vincere altis cum nivibus juga
Feris inacceſſa, atque fines
Undique jam populare noſtros?
At LIVIANUS in trepidis docens
Audere rebus, qua violentior
Vis hoſtium ingruit, citatis
Obvius agmnibus cucurrit.
Ductore tandem hoc ſcilicet Italas
Videre montes inſoliti manus,
Tormenta, atque equos, & arma
Alpicolae ſtupuere Fauni.
Tandemque noſtra impune nimis diu

Bacchati in arva Theutones horridi,
  Senſere in antiquumque robur,
  Inque novum Marium incidiſſe.
Cum caeſa, pubis flos Alemanicae,
  Repente in alta valle Cadubrii
  Phalanx nives cruore tinxit
  Purpureo, rapidumque Plavem.
Arx & recepta eſt; pectora militum
  Cum ſaeva noſtrorum ardua non via,
  Non ſaxa, non arcere muris
  Terrifici potuere nimbi,
Cadente ahena fulminis in modum
  Contorta ab igni ſulphureo pila,
  Qua terra ſubſultat, nigerque
  Cum ſonitu ferit aſtra fumus.
Dirum repertum: & ingenium male
  Sagax, ſacrumque, quo truculentius
  Nil invenire atrox Megaera,
  Saeva nec ira poteſt Deorum.
Sed cuncta praeſens horrida temnere
  Dux acer urget, hunc ſequitur cohors
  Secura: praeſentemque mortem
  Magnanimo duce freta, vincit.
Diis cura noſtri eſt, & Venetus pater
  Probe Latinae conſuluit rei,
  Cum jus tibi omne copiarum
  LIVIANE tribuit ſuarum:
CORNELIUMQUE mox ſocium dedit
  Magno e Senatu, cui ſapientia
  Inſignis, ac fortuna avorum
  Scipiadum reparant honores.
Non imperatorem ille queat ſibi
  Optare, Mavors quem mage diligat,

Non

Non tu Senatorem ferendis
Conſiliis animoſiorem.
Vos nuper hoſtium unanimes feram
Fregiſtis audaciam, ac pavidos patres
Firmaſtis, ac ſuam attuliſtis
Semianimis populis quietem.
Vos jam timebit barbarus, ac ſuis
Pedem cavebit tollere finibus,
Ni laeva mens eſt, diique noſtros
Accumulare volunt triumphos.

EPITAPHIUM CANIS.

CAPARION ego ſum, quē vivum maxime amavit
Liviades, tumulum poſt dedit & titulum.
Plura cani ingenuae de ſe ſibi non licet: at mi
Nunc audita meo accipe de domino.
Latrantem me forte phalanx germana per umbras
Ut vidit, de more aſſore herum timuit,
Et fugit trepida, at ridens ait una dearum,
Quae ante Jovis ſolium ferrea penſa trahunt,
Ne trepidate: ſemel ſatis eſt timuiſſe, neque illum
Quem fugitis, prius huc fata venire ſinent,
Quam Gallos male foedifragos demiſerit Orco,
Et quiſquis vexat barbarus Italiam. (pauca
Quiſquis ades, domino haec referas precor, haec quoque
Addito, amat te etiam trans Styga Caparion.

M. ANTONI FLAMINII CARMINA

AD FRANCISCUM TURRIANUM PATRICIUM VERONENSEM.

ECCE Flaminii tui libellum,
Candidiſſime Turriane, quem nos
Donamus tibi jure; quando nemo
Tantum nos amat, aut amavit unquam;
Neque hoc munere, quod mihi dederunt
Formoſae manibus ſuis Camoenae,
Dum colo Aonios puer receſſus,
Poteſt dignior ullus eſſe, quam tu;
Quem Phoebus pater, & novem ſorores
Amant non minus ac ſuos ocellos.
At vos, numina cara, Turriani
Famam cum lepido meo libello
Servale incolumen perenne in aevum.

HYMNUS IN PANA.

JAM ſatis cecini fera
Regum proelia: nunc age,
Mater Pieri, quem deum,
Quem dulci Aeoliae fidis
Plectro rite canemus?
An te, lanigeri gregis
Silvarumque virentium

Cuſtos

Cuſtos, cui nigra Moenali
Terga, cui gelidi placent
Summa templa Lycaei?
Nymphae, ſemiferam Jovis
Prolem dicite, dicite
Pana capripedem, leves
Suetum cum Dryadis choros
Silvis ducere in altis.
En ut grata ſilentia
Cantu nocti vago deus
Rumpit. cernite, io, venit,
En venit capitis feri
Serta pinea quaſſans.
Huc concurrite, virgines
Intactae, & pueri integri:
At quibus ſcelera impia
Mentem ſollicitant, procul
Hinc abeſte, profani.
Abſint & querimoniae,
Et mixtus lacrimis dolor:
Hic laetis choreis dies
Ducenda, hic leve tinnula
Carmen voce ſonandum.
O Pan Naïadum pater,
Qui per devia montium
Valliumque reconditarum
Agreſtes agitas, canum
Cinctus agmine, lyncas:
Te divum, atque hominum ſator
Silvarum dominum dedit
Eſſe, qua roſeus dies
Surgit, quaque cadens rubris
Ponti mergitur undis.

Tu

Tu fontes liquidos gregi, &
  Laeta pabula ſufficis:
  Tu cuſtos ovium potens
  Dictus, mollia candidis
  Expleſ vellera lanis.
Quos tu, ſancte, pio ſemel
  Agnos lumine videris,
  Illos nec ſtabulis lupus
  Infeſtus rapiet, mala
  Nec contagia laedent.
Felices nemorum comae,
  Quae te, cum vaga roſcidus
  Veſper ſidera protulit,
  Dulci carmina fiſtula
  Audivere canentem.
Tunc purae melius nitent
  Noctis conſcia ſidera:
  Tunc aurae Zephyri tacent:
  Tunc laetas croceis humus
  Spargit floribus herbas.
Non tam dulce ſonat cadens
  Udo in gramine cycnus, aut
  Veris tempore floridi
  Ales ſub ſilüae querens
  Denſis Daulias umbris.
Ergo Hamadryades deae,
  Limpidis ubi procubat
  Umbra ſaxea fontibus,
  Ludunt in numerum, & levi
  Campos ter pede pulſant.
Tu vero choream regens,
  Cantus ingeminas: ſonant
  Laetis omnia plauſibus,

Et

Et cultrix nemorum gemit
 Imis vallibus Echo.
Mox feſſa Dryadum agmina
 Propter gramineam ſedent
 Ripam fluminis, hic ubi
 Dulcem mollis amaracus
 Late ſpirat odorem.
Et dum ſuave rubentia
 Carpunt mala, vel aureos
 Crines frigidulis aquis
 Immergunt, liquida ſimul
 Voce carmina dicunt.
Ut fulgentia ſidera
 Et magnas ſuperum domos
 Linquens, ad vaga flumina
 Paverit niveas oves
 Majae clara propago,
Qua Cyllenia verticem
 Rupes umbriferum nigris
 Late fontibus irrigat,
 Et gratas pecori vago
 Semper ſufficit herbas.
Hic flavae Dryopes ſinu
 In molli recubans Deus
 Coelo frondiferum nemus
 Praefert, heu nimium gravi
 Victus vulnere amoris.
At felix Dryope, novem
 Poſt faſtidia menſium,
 Optatum ex utero dedit
 Pondus. Vix puer hauſerat
 Dias aetheris oras,
Fugerunt Dryades, parens

Fugit

Fugit territa, nam inguinum
Tenus hircus olens erat
Infans, binaque flammea
Stabant cornua fronte.
Tunc illum genitor ferens
Albis pellibus abditum,
Ad magni ſolium Jovis
Venit: nec mora, riſit im-
menſi rector Olympi
Riſerunt ſuperi: at Venus
In ſinu puerum tenens,
Viſus paſcit amabili
Monſtro, grataque turgidae
Libat oſcula fronti.
Salve o Naïadum potens,
Salve, & hinc lacrimabiles
Morbos, & miſeram famem in
Extremas Arabum domos,
Et feros age Turcas.

PAULLI TERTII
PONTIFIC. MAXIM.

JAM nox ſidera Tethyos
Undis caeruleis condere coeperat,
Cum laetae volucres diem
Venturum vario carmine nuntiant;
Argutae fidicen lyrae
Alcon, auricomo gratus Apollini
Alcon, in viridi ſedens
Ripa Tybridis haec dulcia fundere
Coepit carmina, Lesbium
Aurato feriens pectine barbiton.

Jam Sol Oceano diem
  Ducet purpureis, Roma parens, equis,
Quo Farneſius inclyti
  Heros imperii ſceptra potentia
Sumens auſpicio deum
  Felici, Auſoniis attulit urbibus
Pacis gaudia candidae;
  Et belli furias alpibus, & mari
Arcens, triſtia dulcibus
  Mutavit litui murmura canticis.
Ex illo nitidis viret
  Arvis tuta Ceres, Bacchus & exteris
Creſcit liber ab hoſtibus,
  Nec noſtros abigit miles atrox greges,
Nec paſſim pila ferrea
  Ictu fulmineo moenia concutit,
Nec diſcordia civium
  Cognato maculans ſanguine dexteras
Miſcet proelia; quo nihil
  Sol, qui cuncta videt, ſpectat acerbius.
PAULLO denique Tertio
  Rerum praeſide, vis, & furor impius,
Et triſtes ſuperum minae
  Exceſſere procul finibus Italis,
Illuxitque beata diu
  Optato veniens tempore Fauſtitas;
Ut quondam medio in mari
  Jactatis validi turbinis impetu
Nautis Tyndaridae ferunt
  Fratres auxilium ſidere dextero.
Ergo jam novus incipit
  Rerum ordo, facies jam nova cernitur:
Antiquum revocat decus

Divûm

Divum Roma domus, & caput urbium,
Et magnis legionibus
Turcam, & Danubii flumina territat.
Fortunata per oppida
Cornu fundit opes Copia divite:
Virtuti ſuus eſt honos,
Et legum timor, & priſca redit fides.
Sed jam purpureum bonae
Oſtendit Veneris ſtella oriens diem.
Salve, lux nitidiſſima,
Natali proprio carior omnibus,
Quos pulcherrima ſuſtinet
Regnis Heſperiae terra feracibus.
Te nec Juppiter horridis
Infuſcet nebulis, nec malus invida
Contriſtet pluvia Notus,
Nec lux Oceano pulcrior exeat.
Foecundi aura Favonii
Pingat caeruleis gramina liliis:
Stillent mella virentibus
Ramis: lacte mero, Tybri pater, fluas.
Tum laeti choreas Joci
Ducant, nec geminis juncta ſororibus
Abſit Gratia, nec Pudor
Sanctus, nec Pietas, almaque Veritas.
At tu, nobilis imperi
Vertex, magnanimum Roma Quiritium
Mater, ſurge cadentibus
Aſtris, & ſuperum dona fer omnibus
Templis: incipe debitas
Prima luce Deis reddere gratias
Cantu, ac turis honoribus,
Et PAULLO Pylii tempora Neſtoris

Ora,

Ora, qui tibi ſaecula
 Saturni veteris rettulit aurea.

DE LAUDIBUS LAURI.

LAURE, conſpicuo nitens
 Semper tegmine frondium,
 Quas nec bruma gelu rigens,
 Nec ſaevi rabies Noti
 Laeto privat honore,
Te canam, nemorum decus
 Arborumque virentium,
 Inter quas ita gloria
 Praeſtas, ut teneras ſuper
 Vites tollitur alnus.
Iratae fugiens minas
 Junonis, celeri ut pede
 Latona Ortygiam attigit,
 Te viſa, gemini ſtatim
 Solvit pondera foetus.
Hinc tantis meritis parem
 Phoebus reddere gratiam
 Quaerens, horificum neci
 Ut Pythona dedit, tua
 Cinxit tempora fronde.
Dein vocalibus Aonum
 Silvis inſeruit, te ubi
 Lactis fluminibus leves
 Nymphae, & capripedes rigant
 Dulci nectare Fauni.
Nec colles Heliconios
 Dextro contigerit pede
 Te quiſquam ſine; nam prius

Ex Lauro capunt ſua
 Sancti praemia vates.
Quin & limina Caeſarum,
 Victoremque etiam tuis
 Exornas foliis ducem,
 Cum Victoria nobili
 Plena pulvere venit.
Cum primum haec dea praepete
 Penna fortia Romuli
 Intrat moenia, poneris
 Tarpej in gremio Jovis
 Laetae nuntia pacis.
Quamvis ipſe Dieſpiter
 Crebris fulminibus deum
 Templa concutiat, tamen
 Nullis ipſa tonitribus
 Igni tacta coruſco es.
Quis te laudibus efferat
 Dignis, Laure? nocentium
 Tu purgamina ſordibus
 Praebes, veraque cornea
 Mittis ſomnia porta.
Te pulcherrima ſoſpitet
 Latona, & cohibens levi
 Arcu Cynthia belluas:
 Te Phoebus viridem tuus
 Omne ſervet in aevum.

DE LAUDIBUS MANTUAE.

FELIX Mantua, civitatum ocelle,
 Quam Mars Palladi certat uſque & uſque
Claram reddere gentibus, probiſque

Orna-

Ornare ingeniis virorum, & armis!
Te frugum facilis, potenſque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa, calamiſque flexuoſus
Leni flumine Mincius ſuſurrat,
Et qui te lacus intrat, adveniſque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem vias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſque nullis
Turbata exſiliis, frequenſque rerum
Semper copia, & artium bonarum.
Felix Mantua, centieſque felix,
Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis, & magis beata,
Quod his temporibus, rudique ſaeclo
Magnum Caſtaliona protuliſti!

AD ANTONIUM GIBERTUM.

DOCTE puer, magni pulcherrima cura Giberti,
Progenies ſilvis edita Pieriis,
Te dulces oras in luminis egredientem
Excepit tenero Calliopea ſinu:
Et capiti impoſita lauri de fronde corona,
Formoſa Aoniis ora rigavit aquis.
Cui puero favet illa, is firma aetate poëtas
Antiquos doctis verſibus aequiparat:
Ipſum admirantur populi; juveneſque, ſeneſque
Attoniti pendent vatis ab ore ſacro.
Seu vexat miſeras diſcordia flebilis urbes,
Ille ſuis mulcet pectora carminibus.

Seu gravis ira deum morbos exaſperat, iras
  Condonant vati numina magna pio.
Sic divos cithara placabat Thracius Orpheus,
  Sic hominum cultus molliit ille feros.
Fortunate puer! tanto dignatus honore,
  Deſpicito quidquid mobile vulgus amat.
Eſt patruus tibi praeſtanti virtute Gibertus,
  Quem tellus magnae ſuſpicit Heſperiae.
Hoc duce relligio multos neglecta per annos
  Jam rediit: pulſa eſt vana ſuperſtitio.
Ipſius pare ſanctis hortatibus: ipſum,
  Care puer, magni numinis inſtar habe.
Hoc duce Sirenum cantus, & pocula Circes,
  Et Veneris ſaevas effuge blanditias.
Qui ſequitur Venerem, fugit illum candida Muſa.
  Ah miſer ille puer, quem dea docta fugit!
Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum
  Inſidians; caelo candida Muſa beat.
Incautas juvenum mentes in monſtra ferarum
  Vertebat Solis filia blanditiis.
Blanditiis captus, qui dextra vicerat Hydram,
  Hac eadem nevit Lydia penſa manu.
Alcide infelix, ubi ſunt Erymanthia monſtra,
  Victaque tergemini corpora Geryonis?
Et tremefacta tua pallentia Tartara clava,
  Fultaque cum magnis ſidera numinibus?
Alcide infelix, tantis de laudibus iſtis,
  O pudor! exuvias una puella capit.
Nos vero capiant Muſarum gaudia ſancta,
  Gaudia dis etiam cognita coelitibus:
Quos tenerae mulcent jucunda voce ſorores,
  Et citharae cantus ſuavis Apollineae,
Cum pater auratis celebrat convivia tectis,

Et

Et dapibus menſas pulchra Juventa onerat.
At puer Idaeus niveo ſuccinctus amictu
Miſcet ſupremo dulcia vina Jovi.
Hunc puerum virtus tanto praefecit honori:
Huic puero pietas munera tanta dedit.
Ille colens centum ſalientem fontibus Idam,
Sive vagas arcu ſollicitaret aves,
Sive ſub umbroſa captaret frigora quercu,
Qua fugiens liquido murmurat unda pede;
Pieridas, Phoebumque patrem, divoſque canebat,
Qui virides ſilvas, qui ſupera alta tenent.
Dum canit, incluſum fulvis Jovis armiger alis
In ſedes illum tranſtulit aetherias,
Felices ſuperum ſedes, quas candida veſtit
Purpureo ſemper lumine Laetitia.
Tu quoque Muſarum veneratus numina, dignum
Coeleſti puero te, bone, finge, puer.

HAEC, dulciſſime Turriane, luſi
Molli carmine, nec laborioſo,
Dum ver florida laetum agebat aetas,
Quam jocus decet, ac leves cachinni.
Nunc Muſas vocor ad ſeveriores,
Nunc rerum juvat explicare cauſſas,
Et caelum memorare, caeliteſque,
Et qui caelitibus praeeſt beatis.
O molles elegi, lyraeque dulces,
O & myrtea ſerta, fiſtulaeque,
Faunique, Dryadeſque, jam valete,
Et cum frondiferis; Hyella, ſilvis.
At tu, progenies Jovis ſupremi,
Patris deliciae, deumque amores,
Per quam magna canunt ſacri poëtae,

 Felix

Felix Uranie, mihi benigno
Ades numine, ſupplicemque tolle
Me tuo rutilante curru ad aſtra.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM

FARNESI, pater omnium leporum
Hos tibi lepidiſſimos poëtas
Dono, tempora quos tulere noſtra,
Fortunata nimis, nimis beata
Noſtra tempora, quae ſuos Catullos,
Tibullos, & Horatios, ſuoſque
Marones genuere. Quis putaſſet,
Poſt tot ſaecula tam tenebricoſa,
Et tot Auſoniae graves ruinas,
Tanta lumina tempore uno in una
Tam brevi regione Tranſpadana
Oriri potuiſſe? quae vel ipſa
Sola, barbarie queant fugata
Suum reddere literis Latinis
Splendorem, veteremque dignitatem.
Salvete, o decus, o perennis aevi
Noſtri gloria, candidi poëtae,
Quos novem in tenero ſuo ſorores
Nutrivere ſinu, ſuoque digna
Choro Caſtalio loqui dedere.
Vos, & carmina veſtra ſempiterno
Urbes Italiae colent honore.
Vos & Gallus, Iberque bellicoſus,
Et Germania docta, Sarmataeque
Mirabuntur, & ultimi Britanni;

Erit

Erit dum Latiis honor Camoenis.
Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe
Vos diſcent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, cum nigreſcit
Aër jam tenebris ſub axe noſtro;
Nam (mirabile dictu!) in iis quoque oris
Nunc linguae ſtudium viget Latinae.
At tu, floſcule Romuli nepotum,
Quem Phoebus pater, & Minerva doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander, habe tibi hunc libellum
Venuſtum, lepidum, tuaſque laudes,
Iſtis quae celebrantur a poëtis,
Aeternas fore ſcito; nam manebit
Aeterno aureolus libellus aevo.

AD FRANCISCUM TURRIANUM.

PER tui Ciceronis, & Terentî
Scripta te rogo, Turriane docte,
Ut poſtridie adhuc rubente mane,
Cum foecundat humum decorus almo
Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus antevertat aeſtus.
Hic fontem prope vitreum ſub umbra
Formoſi nemoris tibi parabo
Prandium Jove dignum. habebis & lac
Dulce, & caſeolum recentem, & ova,
Et ſuaves pepones, novaque cera
Magis lutea pruna. delicatos
Addam piſciculos, nitens ſalubri
Quos alit mihi rivulus ſub unda.

Ad menſam vetulus canet colonus
Jocoſiſſima carmina, & coloni
Quinque filiolae ſimul choreas
Plaudent virgineo pede. inde ocellos
Ut primum ſopor incubans gravabit,
Jucundiſſime amice, te ſub antrum
Ducam, quod croceis tegunt corymbis
Serpentes hederae, imminenſque laurus
Suaviter foliis ſuſurrat. at tu
Ne febrim metuas, gravedinemve;
Eſt enim locus innocens. ubi ergo
Hic ſatis requieveris, legentur
Luſus Vergilii, & Syracuſani
Vatis, quo nihil eſt magis venuſtum,
Nihil dulcius, ut mihi videtur.
Cum ſe fregerit aeſtus, in virenti
Convalle ſpatiabimur; ſequetur
Brevis coena, redibis inde ad urbem.

AD HIERONYMUM FRACASTORIUM.

FRASTORI venerande, cui medendi
Uſum pulcher Apollo, carminiſque
Artem donat habere, nonne cernis,
Tuum Flaminium perire dira
Tabe? non recreat cibus miſellum;
Non grata vigiles quiete ocelli
Teguntur: macie vides ſuprema
Corpus confici, ut umbra inanis eſſe
Jam plane videar; modiſque miris
Pallor occupat ora; languidoſque
Artus vix traho; nec juvare poſſunt
Dulci carmine candidae Camoenae,

Nec

Nec blando alloquio boni ſodales:
Ipſa ſed mihi lux amara, & atrae
Noctis tempora ſunt amariora
Felle, & Theſſaliae malis venenis.
At tu, candide amice, vel ſodali
Fer tuo auxilium, vel ipſa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magiſtrae & arti
Neſcit cedere, carminum tuorum
Lepore advoca Apollinem, rogaque,
Ne prima miſerum ſinat juventa
Tam crudeliter interire. cur ah
Cultorem patitur ſuum ſub ipſo
Flore aetatis abire moeſtum ad umbras
Pallentes Erebi? quid ergo prodeſt
Ipſi, & Aoniis ſuis puellis
Cuncta poſthabuiſſe? quidve prodeſt
Vita puriter acta? nunc miſello
Nunc o ſubvenias, Apollo ſancte,
Et preces teneri tui poëtae
Audi dexter. opaca ſive Cynthi
Umbra, ſive Heliconii receſſus
Te tenent nemora aureo ſonantem
Plectro carmina, quae beata lauri
Diſcit ſilva, ades o deum voluptas,
Ades numine dextro, & imminentem
Orcum jam capiti meo repelle;
Ut Fraſtorius ob ſuum ſodalem
Salvum, & incolumem tibi rependat
Mille carmina, te canens, tuamque
Matrem, & virgineos tuae ſororis
Mores, & ſtudia, & pharetram, & arcum, &
Currum noctivagum aurea inter aſtra,

Quo ſe candida diva fert Olympi
Per campos, lavis ipſe cum rubente
Feſſas Oceano tuas quadrigas.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARD.

PULCHRAE Naïades, bonique Fauni,
Dilectum juvenem vocate ad iſtas
Mecum delicias. Ades, Quiritum
Alexander ocelle. ſat tuliſti
Dura frigora, ſat graves calores,
Et caſus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger, & Garumna vidit
Iratos properantem adire reges,
Et componere bella, foederumque
Leges dicere: te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis
Faunique ſtupuere Oreadeſque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras,
Et magnum Carolum tuo labantem
Firmas praeſidio, truceſque noſtris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam deſine, jam ſatis laborum
Pro cara Italia ſubiſti: omitte
Curas Urbis, & Orbis, aeſtuoſa
Dum Canicula ſaevit, otiumque
Praefert dulce negotiis, ut alti
Virtus Scipiadae ſolebat olim
Factitare, tumultuoſa Romae
Linquens moenia ter, quaterque in anno.

Hic

Hic quieſce parumper, hic moleſtis
Te furare laboribus. licebit
Horas fallere fervidas legendo
Muſae verſiculos Horatianae,
Et quae Maeonides ſacer, ſacerque
Canit Vergilius. licebit antra,
Et fontes gelidos adire. riſus,
Et joci comites procul fugabunt
Curas, triſtitiamque; nec pudebit
Modo incompoſitos videre motus
Saltantis Pholoës: modo aſſidere
Canenti Meliboeo. aves tenaci
Viſco fallere, piſcibus juvabit
Dolos tendere vitreis ſub undis.
Nec cervi, leporeſve, capreaeve
Abſunt; accipiterque copioſas
Hic praedas agit: omnibus venuſta
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo moenia Romuli, & ſevera
Cuncta deſere: ſed cavebis illas
Turmas innumerabiles clientum
Tecum ducere. ſit comes Mapheus,
Et Mirandula, Romuluſque docti
In primis homines bonique. ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen. haud beata guſtes
Ruris commoda, ni ſuper fluentes
Pompas Urbis in Urbe derelinquas.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARD.

FARNESI, vatum decus, & ſpes unica, noſtri
Solus principium, & finis tu carminis eſto:
Utque optata mihi dexter facis otia, ſic te
Manſuro liceat cantu celebrare, meiſque
Floreat aeternum tua virtus inclyta chartis:
Quod ſpondent Muſae, & cultus mihi sẽper Apollo.
Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,
Ille licet gazas Arabum, Croeſique talenta
Congerat, & priſco ſit regum a ſanguine cretus,
Attigit infelix ubi metam ignobilis aevi,
Deſpectum jacet in tenebris ſine nomine corpus,
Villicus occulto moriens ut pauper agello.
Quaeque pio vati prudens ſi dona dediſſet,
Viveret exſequiis invita morte ſuperſtes,
Illa meretrici dabit haeres. O male ſani,
Diſcite, divitiis uti ſapienter. Avaris
Obruit hic aurum terris, caecoque furore
In mediis opibus vivit rerum omnium egenus:
Alter avaritiam ſaeva plus morte peroſus,
Rem patriam ſtulte vetitos effundit in uſus,
Ingentemque auri ſcurrae populantur acervum.
At ſapiens recte diſpenſat dona deorum;
Dat partem patriae; reficit labentia templa;
Et Muſas fovet, & ſacros ante omnia vates.
Ergo illum dulci tollunt ſuper aethera cantu,
Mortalemque vetant inviſae occumbere morti.
Sic Maecenatis, quo Tuſcia gaudet alumno,
Uſque feret nomen diverſas fama per oras,
Dum rapidus circum terras volvetur Olympus.
Ille quidem magnos reges aequaverat auro,
Cum-

Cumque ipſo curas partiri & gaudia ſuerat
Auguſtus Caeſar, rerum cui prima poteſtas:
Sed nihil Auguſtus, nil pondera divitis auri
Profuerunt, vitæ legeret cum fila ſuprema
Parcarum manus. obſcura caligine leti
Conſitus inferna ſemper latuiſſet in umbra,
Ni miſerata virum divini Muſa Maronis,
Ipſius ad clarum famam evexiſſet Olympum.
Scilicet ingeniis varia eſt vis inſita. rerum
Invigilant alii cauſſas aperire latentes;
Et convexa poli penetrant, maneſque ſub imos.
Hic jura imperiis deſcribit: at ille rotundo
Attentum ore tenet populum magnumque ſenatum.
At ſi quem placidis naſcentem vidit ocellis
Caſtalii regina chori, & formoſus Apollo,
Ille urbis ſtrepitum fugit, & viridantia ſilvis
Rura colens, gaudet longos extendere in annos
Magnanimum heroum divino carmine laudes.
Ergo age virtutem, juvenum flos candide, ſolam
Mirare, & doctos tua ſemper cura poëtas
Ornet alatque; tuum ut vivat per ſaecula nomen.

HIE-

HIERONYMI FRACASTORII CARMINA.

ALCON, SIVE DE CURA CANUM VENATICORUM.

ASSIDUIS nuper feſſus venatibus Alcon,
Falleret aeſtivi ut faſtidia longa diei,
Corvini qua ſe nemora excelſiſſima caelo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem ſenior ſic fatus Acaſtum:
Me ſegnes artus, defectaque viribus aetas,
Et ſuperare juga, & latis diſcurrere campis,
Et torquere leves haſtas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, denſaque indagine cingere ſilvas.
Sed te pulvereum curſu tranſmittere campum,
Ferre aeſtum friguſque, leves agitare Moloſſos,
Et pinguem ſilvis ad tecta avertere praedam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum, pharetramque tibi, jaculumque relinquo:
Ne tamen uſque adeo plenae confide pharetrae,
Ut poſtrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris praevertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum ſuperare leonem.
Ergo age, & haec tecum ſemper mandata reſerva.
Principio ut generoſa canum tibi copia numquam
Deſit, quae certam valeat promittere praedam,
Eli-

Elige degeneri nequaquam ſemine natos,
Sed quos aſſidue ſilvis exercuit altis
Et labor indomitus, ſaevarum & praeda ferarum.
Nec vero parvi formamque genuſque putaris:
Nam neque ſunt animi, neque mores omnibus iidem,
Et variae diverſa canum dant ſemina gentes.
Nam rabidas ſi forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis,
Spartana de ſtirpe tibi, de ſtirpe Moloſſa
Quaere canes, Libycos illis, acreſque Britannos,
Pannonioſque truces & amantes praelia Celtas
Adde, nec Hircanos, nec Seras ſperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreaſque fugaces
Malueris, timidoſque ſequi per devia cervos,
Delige Paeonios agiles, volucreſque Sicambros.
Quod tibi ſi latebras, abſtruſaque luſtra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi eſt,
Hunc uſum implebit Perſes, & Saxogelonus.
At genere ex omni praeſertim delige quae nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, vivacia lumina, & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectae ſurgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam deſcendens ſpina reflexam:
Sint armi lati, ſint aeque pectora lata:
Lata alvus, quae ſic coſtis adjungitur imis,
Ut tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Ut cava diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis,
Ima pedum parva ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem conjunge marem, quum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarũ.
Bis quinos tamen ante dies accenſus uterque

In venerem, venere abſtineant: ſic plena libido
Acrius exſtimulat, vireſque ad ſemina praebet.
Hinc major ſoboles, atque inde valentior exit.
Quae ſimulac ſe ſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos jam praeſtare videbis
Pondere: vel ſtipulae flammis include ſonoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam ſobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis, & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus aetas
Acceſſit, parvum curſu conſcendere collem,
Et molli aſſueſcant ſe ſe demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbiſque viri parere vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcant cum viribus anni,
Jam potes hos tuto denſis committere ſilvis:
Perque altos montes, per luſtra agitare ferarum:
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni.
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos
Exerce aſſiduis: ac mox ad tecta reverti,
Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Quum res ipſa, uſuſque vocat, majore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſilvis catulos eduximus altis:
Nunc quae morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes quum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flamis,
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat aeſtu,

Bu-

Butyro lapathi ſuccos, Siculique Lyaei
Pocula, contuſumque piper ſimul omnia miſcens
Proſubige: ut certi ſimulac commixta liquoris
Praetulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphae mala ſi ſucceſſit hirudo,
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſoque cani praebere vorandam.
Aut quum tetra lues (clavos dixere) palatum
Afficiet miſere, ſilveſtria ſeſama, nec non
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in unum
Confundens, tetrae cauſſam ſuperilline peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Quum tabes, crebraeque fluunt a lumine guttae,
Jam frondes ſacrae myrti, ſilveſtris & uvae,
Arenteſque roſas diluto concoque Baccho,
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore,
Lemiulum lapidem (Meditem nomine dicunt)
Urina ſemel atque iterum demerge recenti:
Cui Bacchi dulces, acidoſque adjunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumta circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum, ac telā pendentis Arachnes
Ure foco, cineremque undanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotii quum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, Cerealia dona
Objice lacte prius ſimae perfuſa capellae.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis,

Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,
Inſertoque cani paullatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio quum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliva:
Incipientque novi ſubcreſcere protinus ungues.
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab oeſtro:
At tu ſilveſtrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Impetit uſque adeo, mutilatum appareat alte
Ut caput: ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus, viridique putamine tinge.
Quid quum dura canes inter ſe praelia miſcent,
Alter ut alterius percuſſus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammae ſubjecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis olivae
Unguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
Quamquam etiam poſſis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rabidos ubi morſus, protinus ipſe
Idaeam rutae foliis, acrique Lyaeo
Junge picē, laeſaeque adhibe haec medicamina parti.
At mala quum ſcabies miſeros depaſcitur artus
Latrantum, & foede miſerabile corpus adurit,
Ceruſſam, abdomenque bovis, reſinamque tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque ſenſim
Len-

Lentiſci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc praecipue ſolerti mente cavendum eſt,
Quum rabie accenſus nunc hos, nunc impetit illos.
Ipſi infenſus hero, datque inſanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compeſce catena:
Inde roſae agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam vivi fontis conſperge liquore,
Ut potus ſpeciem lino colata nigranti
Praeferat: hac ſumta, revocari ad priſtina tradunt
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.
Sunt qui ſilveſtres ficus, adipemque vetuſtum
Contundant: ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una ſuperſit
E tribus, atque ipſis foliis, tepidoque liquore
Paſcere quadrupedem, Aurora ſurgente furentem.
Nil tandem uſque adeo prodeſt, ac prima ſub ipſum
Principium morbi reſcindere ſemina ferro.
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, & fauces, nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit uſque Moloſſos
Vulnificus vermis, ſuffunditque ora veneno.
Quem ſi quis potuit ferro reſecare, potentem
Is tanti abſtuleris cauſſam, ſtimulumque furoris.
Quae ſuperant, olim: nunc praedam ad tecta jacentē
Ferre monet praeſens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos poſuit Coridallus acutos,
Et jam ſubluſtres invectat Luna tenebras.

IN OBITUM
M. ANTONII TURRIANI
VERONENSIS,
AD JOAN: BAPTISTAM TURRIANUM FRATREM.

ETSI egomet tanti caſu perculſſus amici
  Solamen noſtris diſcuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
  Pergeret aut tantus urere corda dolor,
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
  Iſtaec moeſta tibi carmina perſolüi;
Quo fortaſſe meis conſolarere Camoenis,
  Si miſeros quidquam Muſa levare poteſt:
Acne tu in lacrimas paullatim totus abires,
  Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te fratris acerbo eſt
  Rumor in extrema vivere triſtitia,
Nec jam poſſe quietis habere, aut commoda ſomni,
  Sed cedente die, ſed redeunte queri:
Moerentemque, vagumque, & turpem fletibus ora
  Amiſſum totis quaerere litoribus.
Fertur ut Eridani ripas erraſſe per omnes
  Anxia fraterno funere Lampetie.
Septem quam perhibent ſomni ſine munere noctes,
  Jejunam ſeptem continuaſſe dies.
Et, quoties longo defeſſa errore viarum
  Umbroſi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaëtonta mihi, clamabat ad undas,
  O quaecumque ſub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, ullius ſi cuiquam morte dolendum eſt,

Juſta

Juſta quidem tanti cauſſa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnia frater
Commoda, teque ipſum perdidit, atque tuos:
Perdidit hei miſero carus tibi frater ademtus,
Quo tibi non ullus carior alter erat.
Ille amor, ille tuae ſolamen dulce juventae,
Ille tuae fuerat ſpes, columenque domus:
Quicum verſari ſemper, quicum eſſe ſolebas,
Atque animi arcana dicere conſilia:
Unum mirari, atque unum praeponere cunctis:
Ambroſiae e cujus effluere ore lepos.
O nimium miſeri nos, & genus aerumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſaevitum eſt bello, quo durius umquam
Vidit nulla aetas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, & barbara juſſa,
Parſque domos caras liquimus, & patriam.
Relliquias, miſeroſque abſumſit tabida cives
Peſtis, & huc illuc ſaevit Erinnys adhuc.
Nec ſat erat: miſeri crudelia funera COTTAE
Flevimus. o indigna COTTA peremte nece.
O COTTA infelix, quae te fata impia nobis
Tam ſubito ante tuos abripuere dies?
Jam neque finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſſarant triſtia flere genis,
Quum tu, MARCE, cadis, quum nos tot triſtibus actos
Deſeris, heu falſos credulitate tui.
Non hoc vivida nos tua jam ſperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem ut nos te juvenem, nec jam ulla loquentem
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus aequaret Olympo,
Unus qui multos inſtrueres populos.

Qualis ab aërio decurrens monte jugi fons
Communes multis ſufficit unus aquas.
Nam quid ego aut laudes memorē, aut tua maxima lau- (dum
Praemia? quam humano profueris generi:
Aut quam ſaepe animas poſitas jam ſedibus Orci
Ad ſua Apollinea membra vocaris ope?
Vos teſtes, Ticine, & qui inter paſcua laeta,
Medoace, antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama eſt naturae arcana docente,
Saepe inter Nymphas obſtupuiſſe ſuas;
At nunc amiſſo turbatis fleſſe ſub undis,
Inque mare aſſuetas non habuiſſe vias.
Non tamen aut ſoli, nec vos magis omnibus, amnes,
Indoluiſtis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajae, & Nymphae flevere Latinae,
Illum etiam Tuſcis Calliopea modis.
Quin etiam ſilvae, & montes gemuiſſe feruntur,
Et vos extremi fleſtis Hyperborei.
Sed mage Benacuſque ſenex, & Sarca, ſepulti
Qui prope vicinum praetereunt tumulum.
Sed magis ipſe Atheſis, olim qui corpus humandum
Condendum caram perferet in patriam,
Ne extra cognatos cineres, atque oſſa parentum
Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos o patrio prognatae Najades amne
Spargite odoratis plena ſepulcra roſis.
Tempus erit, quum poſteritas mirata nepotum,
Quantum iſti, dicent, ah tribuere Dei!
Atque aliquis monumenta legens, & ſcripta jacentis
Devota ad mutos ſerta feret cineres.
Interea, o vos Benaco centum patre Nymphae,
Sarcaque ab Alpinis edite verticibus,
Et vos o Naci rupes, & ſaxa Briani,

Et

Et nemora umbroſis denſa cacuminibus,
Ferte aliqua, o nunc ferte meo ſolatia BATTO
Et tantam ex animo demite triſtitiam.
Quem neque ſancta poteſt Sophie complexa levare,
Muſa nec aſſuetis ſedula carminibus.
BATTE, tamen vates, longum ut quaeſiſſet ademtã,
Et longum fleſſet Thracius Eurydicen,
Nullo ſolatus, blando quam carmine, curas;
Nullo, quam Sophia, dicitur eſſe magis.
Illi, ſeu Rhodopes ſilvis erraret in altis,
Sive in deſerti Strymonis aggeribus,
Semper Muſa comes, ſemper pendebat eburna
Ex humero numeris docta ſonare lyra.
Ille orbem immenſum ſemper ſpectabat, & orbis
Ornatum, puris ſidera luminibus,
Et maria, & montes vaſtos, atque irrequieta
Flumina, tum quidquid denique terra parit.
Quorum animadvertens certa ſub lege tenorem,
Paullatim caram ſenſerat Eurydicen
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem;
Tantum animos rerum forma levare poteſt.
Aſpice lucentem Lunae Titanidis orbem,
Et cum Sole ſuo quae ſuper aſtra micant.
Omnia ſunt aeterna, & vitae juncta perenni:
Quae loca felices Diique animaeque colunt.
Inferior Leti regio eſt, ſedeſque malorum,
In qua eſt, quod felix intueare, nihil. (gant,
Quippe ſolum hoc ventique, imbreſque, & cuncta fati-
Quaecumque aëria de regione cadunt:
Adde aeſtuſque, hiemeſque, & morborum genus omne.
Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porro deſideriis mala plurima noſtris
Junximus, o praeceps in ſua damna genus.

 Hinc

Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta,
  Et via non uni plurima aperta neci.
Attamen in tantis aerumnis eſt animi ſpes
  Unica, quem melior vita beare poteſt.
Quippe, ubi praefulgens ulla virtute reliquit
  Corporeum, ſedes advolat aetherias,
Semideumque domos, & Divum morte carentum,
  Hic, ubi non aeſtas, nec fera ſaevit hiems:
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri,
  Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus habet:
At ſancti heroes habitant, gens inclyta bello,
  Ingenuique, novem qui coluere Deas:
Quique pii, juſtique, Deum praecepta ſecuti,
  Et ſancta inſignes qui fuerunt Sophia.
Quos inter tuus ipſe recens a funere frater
  Miratur caelum, Caelicolumque domos,
Aeter namque diem, & felicem ex ordine gentem:
  Inter quos gaudet ſe quoque dinumerans: (QUE
Quem circum illuſtres animae, PROAVIQUE, PATER-
  Intentos oculos ore Nepotis habent,
Et pulchram effigiem agnoſcunt: miratur & ipſe
  Egregiam ſtirpem, magnanimumque genus;
Agnoſcitque ſuos, & facta, & nomina diſcit:
  Tum quantum ſit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, triſtem ante ſenectam
  Carpere iter caeli cui potuiſſe datum eſt.
Quas ſyrtes, quos & ſcopulos poſt terga relinquis,
  MARCE! tibi a quanto eſt ſalva carina mari!
Fortunate iterum: tu non incommoda vitae
  Paſſus adhuc, non quae plurima habet ſenium:
Sed dulces inter Muſas, & Apollinis artes
  Fortunata nimis vita peracta tibi eſt.
I, decus Auſoniae juvenis, numeroque Deorum
Te

Te immiſce: culta eſt jam tibi terra ſatis.
Illa tuum, dum ſidera erunt, dum flumina current,
Nomen in aſtra memor, & benefacta feret.

AD JOAN. BAPTISTAM TURRIANUM VERONENSEM.

BATTE, animos quando triſtes, curaſque levare
Muſa poteſt, ego nunc ſortem, caſuſque ſupremos
Ipſe meos triſti ſolabor carmine tecum.
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abſtulit, aeterna & pariter caligine texit,
Conquerar: ut ſaltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis eſt noſtrae, miſerorum nomina demã.
Quae potui, dum vita illos auraeque fovebant,
Exhibui genitorque, gubernatorque duorum.
Infelix. primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen praebere parenti.
Quos ego (ſed Zephyri ſpes portavere paternas)
Cenſueram, ſi fata darent, quum poſceret aetas
Fortior, ad dulces tecum traducere Muſas
Aſſiduos, citharamque humeris ſuſpendere eburnam.
Inde, ubi jam caelum, ac Solem, fulgentiaque aſtra,
Terramque, & liquidos ignes, aequorque profundum
Mirari inciperent, latiſque animalia campis,
Te monſtrante viam, te rerum arcana docente,
Mens fuerat dulces Sophiae deducere ad hortos;
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, ſemper caeleſti nectare paſcit.
Hic tremulo, & longa confecto aetate parenti
Purpureos legerent flores: ſeniique levamen,

Threïcia canerent cithara, quae plurima quondam
Audiſſent te populea meditante ſub umbra,
Divino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi natorum ore referri
Fata ſinant, ut nata chao antiquiſſima rerum
Materies viſi correpta cupidine pulchri
Arſerit, atque Deum thalamo complexa, jugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata hymenaeis,
Et diviſa locis, ſuprema petiverit ignis
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem juxta per inane amplum ſe fuderit aër:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto
Conſtiterit: quā dudum hinc inde agitantibus undis
Subſterni late campi, deformiaque arva
Paullatim apparere ſupra, & concreſcere montes
Coeperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides undis mirantibus ornos.
Montanis tum ſpeluncis, & rupibus altis
Exſiluere udae formoſo corpore Nymphae,
In viridi flavos ſiccantes litore crines.
O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Haec mihi ſervaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verum aliter Lacheſi viſum eſt, quo tempore primū
Natorum coepit producere fila duorum.
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat praebere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, virideſque juventa
Inſpicere, & carae ad metam deducere vitae.
Nec potui votis, nec ope adjuviſſe paterna
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequidquam voce vocantes.

Heu

Heu mortẽ inviſam: quis, te mihi PAULLE, Deorum
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quod te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat moeroris abunde?
Non gemitus? quid me e tam multis patribus unum,
Caelicolae, lacrimiſque novis, & morte recenti
Opprimitis, caroque etiam ſpoliatis IULO?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens! quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, quum te complexa jacentem
Aſpiceret laniata comas & pectora mater?
Ah miſera, ah male fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut ſuccisſus aratro
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem.
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam eſt. Vos illam in funere, matres,
Collapſam accipite, exanimemque reponite tectis.
At vos, inſontes animae, cariſſima nuper
Pignora (quod miſero ſupereſt optare parenti)
Semper avete mei, ut licuit, ſemperque valete.
Seu dulce Elyſium functos, umbraeque tenebunt
Sanctorum nemorum, puro ſeu ſidera caelo,
Ipſe ego vos ſemper lacrimis, vos carmine triſti
Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulcris:
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, natis aequat quae ſola parentes.
Interea curas numeris, Muſaque levemus,
BATTE, animos: quando rerum mortalis origo eſt,
Quando etiam vitae norunt vaſta aequora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis
Ille dies, quum jam curvo ſub vomere taurus
De-

Deſudet, terramque gravis proſcindat arator,
Nunc ubi caeruleae roſtris ſpumantibus undae
Sulcantur, verruntque citae freta longa carinae.
Nec vos, o liquidi fontes, aeterna manebunt
Secula, ſe tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumiduſque fluat tot cornibus Hiſter.
Quin etiam aërii montes, mirabile dictu,
Taygetus, Syphiluſque, jugo & Cymbotus opaco
Innumeras poſt aeſtates, ac ſecula longa,
Senſerunt ſeniumque ſuum, ſupremaque fata:
Ex quo materies thalamos, primoſque hymenaeos,
Atque elementa novus ſenſit diſcordia mundus.

AD DANIELEM RHAINERIUM

VERONAE PRAEFECTUM, SENATOREM AMPLISSIMUM.

RHAINERI venerande, uno quo ſoſpite, nondum
Juſtitia, & virtus terris antiqua receſſit,
Multa quidem monumenta tuis ſub faſcibus Urbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,
Et Bromii vites, & amicae Pacis olivae.
Verum haec ex Urbis re dilabuntur, & ipſi
Ultro etiam ſua tecta volunt procumbere Divi.
Ah, ſaltem antiquo medicorum parcere ritu
Faſque, & ſuetus amor pietatis, & inclyta virtus
Magna tui valeant. valeant hoc more vetuſto,
Quo noſtri vixere atavi, vixere parentes,
Te duce venturi longum ſuperare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Divum eſt ſanctior aris,
Quem neque tempus edax potuit, nec ſecula tot jam,
Non belli rabies, non ipſum infringere ferrum,
Tan-

Tantum eſt juſtitiam violari, & foedera rumpi,
Scilicet & ſacra eſt medicina, vetuſque Deorum
Inventum, & ſacri medici, quibus auctor Apollo:
Qui revocare animas jam caligantibus Orci
Faucibus impoſitas ad carae munera vitae,
Aetherioſque hauſtus, & dulcia lumina poſſunt:
Qui genus innocuum, vitaeque ad publica nati
Commoda, divinas tantum didicere per artes
Exercere aevum, atque humanae praeeſſe ſaluti.
Hos aequum eſt te praecipue, longeque tueri,
RHAINERI, ante alios, idem cui ceſſit Apollo
Ipſe ſuas artes, & munera nobilis otii:
Quemque domos Divum docuit, perque omnia duxit
Sidera: quem Grajo inſignem Latioque cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere ſilvas,
Et calamos, citharamque humeris ſuſpendit eburnã.
Idem te dulces Sophiae deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, ſemper caeleſti nectare paſcit.
Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus
Urbem juſtitia, & Divis in pace ſecundis
Egregiam moderare, Atheſis qua flumine pulchro
Labitur, & placido ſecat arva virentia curſu. (ve,
Tu quoque, magna virũ genitrix, urbs inclyta, ſal-
Cura Deum, VERONA: tui ceſſere labores,
Aerumnaeque graves, atque horrida Martis imago,
Sanguinis & veſana ſitis, & triſtis Erinnys.
Barbara jam ceſſit rabies, & in Alpibus atrox
Saevitiam miles, gelidumque exercet ad Albim.
Jam duros nimium ſervitus, & fera juſſa
Deſuemus perferre, ullos non jam urbe Tyrannos
Conſpicimus, ſed te, RHAINERI maxime, ſed te,
Magne pater, uno tandem quo ſoſpite, nobis

Jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros
Laeta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes.
Gaudete o quicumque boni ſperatis agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis, ſtudiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites.
Tempus io, nunc tempus adeſt, quo ſecula Parcae
Aurea nent, tandem quae nunc te Praeſide laeta
Incipiunt: ſed erunt nobis tunc maxima, quum te
Inſignem ſceptro Venetum, ſanctaque tiara
Regna ſalutabunt terris diffuſa, tuumque,
Qua Sol exoriens viſit, qua deſerit orbem
Occiduus, late clarum feret Hadria nomen.

AD JOANNEM MATTHAEUM GIBERTUM

EPISCOPUM VERONENSEM.

ILLE tuus, GIBERTE, ſacras qui in montibus aras
Melſineis tibi conſtituit, qui teque, tuumque
Per nemus omne canit, perque omnia litora nomen,
Haec enata ſuis mittit tibi poma ſub hortis
Aurea, quae quondam Medorum e finibus Atlas
Tranſtulit, & magno ſervabat tuta Dracone:
Mox victor ſacra exſpolians pomaria Perſeus,
Dum levibus noſtrum talaribus aëra tranat,
Donavit Charitae Benaci ad flumina Nymphae.
Inſuper hos, GIBERTE, tibi dat munera piſces,
Qui quondam Etruſci nautae, noſtraque fuere
Effigie, nunc Benaci ſub gurgite nantes
Caerula converrunt ſinuatis aequora caudis.
Quod ſi forte juvat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam verſas audire figuras,
Ipſe edam, Saloi quae quondam ad litora BATTUS,
BAT-

BATTUS amor Dryadũ cecinit, mihi rettulit Aegõ·
Forte ſenex Cretae patriis Saturnus ab oris
Ab Jove depulſus, regnum ſedeſque quietas
Quaerebat Latio in magno, fataliaque arva:
Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum feſſus, longaque via ſiccatus & aeſtu,
Ad vada Benaci viridi proſpectat in herba
Veſcentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miſcentes: placido quos ore ſalutans,
Ecquis, ait, veſtrum, pueri, ſuccurrit egenti,
Defeſſoque ſeni? quis pocula parva miniſtrat,
Exſtinguitque ſitim? poſcenti illudere nautae,
Et ridere ſenem. quis enim praeſentibus undis
Poſſit habere ſitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidaque aeſtum ſolabere lympha.
Illuſus Deus immiſſis in flumina palmis
Haurit aquas, pronuſque bibit: tum verſus ad illos,
Quo tamen e pretio; pueri, ducetis ad illas
Remigio cautes, quae fluctibus undique circum
Clauduntur, mediiſque jacet parva inſula in undis;
Oſtenditque locum: pretium gens impia iniquum
Poſtulat. at pactus ſenior tamen omnia firmat,
Adjuratque Deos teſtes, ſcanditque phaſelum.
Illi autem, dum nave cita liquida aequora ſulcant,
Ignari, quiſnam ſedeat Deus, Eja age nobis
Fare, ſenex, quonam latebras pro crimine quaeris?
Anne fugam ſubrepto auro, dominoque relicto
In loca tuta paras? Sed te tua fata ſequuntur,
Demens, quem nullae poterunt ſervare latebrae.
Nomine Carpus erat, qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumque repoſcunt,
Proferri ſubreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiãt, pulſumque rate in media aequora turbent.

Quos placidus dictis ſenior demulcet amicis.
Etruſci nautae, quae nunc mens impia ſuadet
Nec ſervare fidem vos, nec meminiſſe Deorum?
Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille,
Qui tandem agnoſci poſſet Deus, Impia, dixit,
Gens inimica Deum, dabitur, quod poſcitis, aurum,
Hoc imo ſub fonte aurum paſcetis avari.
Dixerat. Aſt illis veniam poſcentibus, & vox
Deficit, & jam ſe cernunt muteſcere, & ora
In rictum late patulum producta dehiſcunt:
In pinnas abiere manus, veſtiſque rigeſcit
In ſquammas, caudamque pedes ſinuantur in imam.
Qui fuerat ſubita obductus formidine, manſit
Pallidus ore color, quamquam livoris iniqui
Indicium ſuffuſa nigris ſint corpora guttis.
Carpus aquas, primus Numen qui laeſit, in amplas
Se primus dedit, & fundo ſub condidit imo.
Inde alii celeri ſe ſe in media aequora ſaltu
Praecipitant, vacuãque ratẽ, & ſine remige linquunt.
Jamque Deus ſuper unus erat: ſubit ipſe magiſtri
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis.
Expoſitus ripa placidas converſus ad undas,
Ecquid io, Nymphae Benacides, iſta ſuperſit
Navis, & hunc amnem ſacrum male fauſta carina,
Et veſtras ſulcabit aquas? En certe ita & hujus
Criminis hoc ſcopulo ſemper monumenta manebunt.
Dixit, & in partem rupis converſa pependit
Cum remis ratis ipſa ſuis, ubi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas litore nautae
Collectas miſeri media impoſuere carina.
Ex illo nunc Benaci per litora nantes,
Atque auri venas fundo paſcuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

AD

AD MARGARITAM VALESIAM NAVARRAE REGINAM.

CAESARIS FREGOSII NOMINE.

DUM me Cenomanos inter tenet Itala tellus
Zefredique arces, mens autem neſcia claudi
Libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,
Trans Ararim, caelumque beatum & Gallica ſemper
Regna videt, Regemque ſuum, tecumque moratur
Aſſidue, verſatque tuas ſub pectore laudes;
Ecce mihi caelata auro gemmaque nitenti
Armipotens, galeaque ferox & Gorgone Pallas
Oblata eſt, ſeu fors tulerit, ſeu fata dedere.
Continuo viſa ante oculos effulgere imago
Magna tui, inque ipſa micuerunt Pallade vultus
Virtuteſque tuae, moreſque, & facta, decuſque.
Quippe illam e cunctis ſic tu mortalibus una
Aſſimilas, ſic una refers, in Pallade ut & tu
Noſcare, & Pallas in te. ſive illa Minerva,
Seu dici Bellona velit, conſenſus utrimque
Eſt idem, ora, animi, genius, cognataque virtus.
Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni
Gemma, aurum, effigieſque Deae: ſive eſt Polycleti,
Sive Myronis opus. placeat tibi munus: imago
Eſt tua: ſit gratus cum munere, muneris auctor.
Quod ſi digreſſus paullum, & provectus amore
Pierio, dum me dulces per grandia Muſae
Facta tua, & dum per monumenta heroica ducunt,
Ipſe tuas memorem laudes, quibus aethera ad altum
Scandis,& illa ſimul referam,per quae una Minervam
Uſque adeo aſſimilas, juvet auſcultare canentem,

Si vacat, & ſolitae ſunt te oblectare Camoenae.
Illa parente Deo Jove magno, fratre ſuperbit
Gradivo. tum forte acres in bella phalanges
Si quando exacuit, late timor occupat urbes,
Turbati tremuere hoſtes, ac terga dedere.
Ipſa haſtam quatit, atque horrenti Gorgone ſaevit.
Ante Deam dirae effigies, Terrorque, Minaeque
Sãguineae,& dans terga Pavor,Viſque impia,& Irae,
Vinclaque, Vindictaeque aſtant, & Mortis imago.
At vero poſitis armis, atque aegide dira,
Mollius humanas ſi demittatur ad artes,
Manſuetoſque uſus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet Muſam, aut heroica geſta
Deſcribit, numeriſve orbes metitur & aſtra.
Sin autem imperiis & majeſtatis honore
Gaudeat, aeternae ramis inſignis olivae
Aut juſtas ſancit leges, aut jura miniſtrat,
Aut arces ſtruit, aut medias regina per urbes
Incedit, matreſque ſuper longe eminet omnes:
Condenſi agglomerant ſe altis clamoribus Afri,
Spectatumque ruunt, araſque & publica ponunt
Templa Deae: plauſu reſonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum Rege Deoque,
Ac Jove nata ſimul, Germano Marte ſuperbis.
Nam Martem quiſnam eſſe neget, ſeu fortia nudus
Brachia, praevalidoſque artus, atque Herculis armos
Oſtendit, taurumque uno proſtraverit ictu:
Sive acrem, pictiſque armis ſpectandus & auro,
Preſſit equum, ſtruxitve acies, & victor in hoſtes,
Ceu torrens, ſigna atque viros ſternitque fugatque:
Fulmineove Jovis tonitrus imitatus & arma
Tormento, muros & magnas diruit urbes?
Te quoque tantorum comitem, partemque ſecundam
Bel-

Bellorum, ſi quando acies atque arma movenda
Perculſae tremuere urbes, horrorque, pavorque
It campis, Mars germanam comitatur ovantem:
Attoniti ſpectant populi, gaudentque tueri
Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire
Poſtremũ, nunc pellere equũ, nunc tendere in hoſtẽ,
Turbantem cuneos, & abactis agmina ſignis.
Aſſiſtunt comites circum Solertia, & Aſtus,
Et magna audentes Animi, & Tolerantia dura,
Curaque, Sedulitaſque vigil, Speſque alta, Laborque
Et Divum Favor, & ventis Fortuna ſecundis:
Pone ſequens magno graditur Victoria plauſu.
Nec minus horrenti a bello, partiſque triumphis
Si juvat ingenii, paciſque incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata ſorores
Caſtalias, plectis numeros, & carmina dictas,
Carmina nec rerum fato ſubjecta, nec aevo:
Nunc magnos dimenſa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrioque aſſueſcis Olympo:
Nunc tua deſcribis vel regum geſta tuorum,
Aut eadem depingis acu. ſtant curribus altis
Et pater, & proavus, cunctique ex ordine reges,
Captivoſque hoſtes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipſa opus & textum ſtupet immortale Minerva.
Quam vero, o quam te dicam, quum legibus aequ
Juſtitiaque feros populos frenaſque, regiſque,
Et divina doces jura, & civilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populoſque frequentes
Incedis Regina. Favor comitatur euntem,
Majeſtaſque, Pudorque, tamen qui Pallada poſſi
Armatam, & Martis gradientem in bella decere.

It dextra Pax laeta manu, & praetendit olivam.
Applaudunt Sequani, floreſque & lilia paſſim
Effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,
Reginamque, Deamque, ſalutiferamque ſalutant,
Et pace inſignem, & bello ferroque potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Caeſar, & omnis
Suſpicit admirans orbis cui lumine tellus
Felici arridet, totus cui militat aether.
Diis quamquam viſum aſpectu tibi debita regna
Paulliſper privare tuo, ſeu crimine cives
Id meruere aliquo, ſeu te tua fata reſervant
Ad majora, viamque tuis virtutibus amplam
Expediunt, panduntque. Etenim jam tempora laeta
Illa inſtant, quum poſt lacrimas, poſt publica vota
Te tandem tua regna novis decorata trophaeis
Accipiant, & juſta tibi ſolennia ſolvant.
Jam ludi, feſtique dies, jam ſacra parantur:
Jam placidus ripa gaudet Meniaſcus amoena:
In templis pueri impubes, mixtaeque puellae
Sacra canent, ortuſque tuos ad ſidera tollent:
Ut naſcentem ulnis primae excepere Camoenae,
Melleque, & Aonio tetigerunt ora liquore:
Ut Charites fovere Deae, & decus omne dedere:
Ut parva in numerum pedibus cunabula Divae
Pellentes, manibus nentes fatalia penſa
Grandia concordes cecinerunt fata Sorores.
Stabunt ingentes ſublatis molibus arcus
Caelati geſtiſque tuis, factiſque tuorum.
Supra omnes humeris exſtans altaque corona
Frater erit, ſenoſque ferox ex hoſte triumphos
Ducet ovans. mox fortuna congreſſus iniqua,
Cum dura bellare Dea, & decernere dure
Cogetur. longe illa Euris in bella vocatis

Objicere

Objicere adverſos, & toto nubila caelo,
Et caſus, & monſtra modis minitantia miris
Cernetur: Rex contra animis, & fortibus auſis,
Et virtute nova tandem ſuperare cadentem,
Tendentemque manus: tum ferro & compede vinctã
Protrahere, & campo captivam ducere aperto:
Nubila diffugere, & turpi deformia monſtra
Victa fuga, vario bello conſumta fameque
In caecas latebras obſcuraque Tartara condi.
O, mihi ſi tantum juvenili in corpore vitae,
Et tantum det Parca mihi, haec ventura ſuperſtes
Ut videam, comiterque tuos, Regina, triumphos;
Mox etiam ſpectare queam & majora parari.
En erit, en umquam illa dies, quum Gallica ſigna
Attolli,& Sequanos compleri milite campos (durcos,
Conſpiciã, fremere arma Rhemos, fremere arma Ca-
Aulercoſque, Heduoſque, & pictis Lingonas haſtis?
In mediis Regem ſecum cataphracta trahentem
Agmina, ſublimem ſanctas procedere ad aras,
Per caput & ſacram regum de more coronam
Jurantem, & Solymas repetentem debita ſceptris
Aegna ſuis: te parte alia fortes Ituriſcos,
Andelos, Bituraſque feros in bella moventem:
Conſilii, tantoque operi comitemque ducentemque
Aſcitam: nec non tanto ſub Rege coactam
In ferrum ruere Italiam, & ſocia arma trahentem
Signa ſequi. mox o liceat Caeloque ſecundo,
Et praeſente Deo, tot ſe ſe addentibus una
Proſpicere immenſum conſterni puppibus aequor;
Carmelique procul rupes, & litora Ioppes
Laeta Dei claſſem, & victricia vela vocare,
Et trepidum Euphratẽ, & magni tremere oſtia Nili:
Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poſcam

Non aliam mihi: Rex Mavors, tu maxima Pallas
Sola eris. o ego tunc gemino ſub Numine tutus
Per medios hoſtes, videor denſoſque maniplos
Victor agi, videorque mea ſub cuſpide fractos
Munera magna tibi captivos ducere reges:
Nec non & ſpolia ampla tuis addenda triumphis
Jungere, barbaricas veſtes, regumque tiaras,
Armaque, Mygdonioſque arcus, Lyciaſque pharetras:
Cernere & exanimem fuſo cum milite portas
Caucaſeas atque Hircanos inquirere ſaltus
Maumethem, & ſe ſe extremis occludere Bactris.
Haec, precor, haec propere eveniant felicibus aſtris,
Si qua fata dabunt, votis ſi Jupiter adſit.
Interea, ſive haec te cura, & gloria tangit,
Seu pacem Europae miſerae moliris, & arma
In Superum ſaevos hoſtes avertere tentas,
Magnanimo aſſiſtente tuis conatibus Anna,
Anna ſpectato meritis, cui ſumma poteſtas
Tradita, quo rerum moles oneroſa recumbit,
Quidquid agis, ſi quando animum convertis ad ipſam
Italiam (neque enim teneat non haec quoque cura)
Tunc dicas, Caelo ante alios mihi fidus in illo eſt,
Qui niſi pro Rege invigilans nocteſque dieſque
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica ſuſpiret regna, & tabeſcat abeſſe.
Praeterea, Dea bellipotens, quae munera CAESAR
FREGOSUS, parva illa quidem, ſed congrua mitto,
Haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
Una eadem, facieſque tui, facieſque Minervae.
Quin etiam, quoties Divinam ſpectare juvabit,
Te toties ſpectare puta. Sed, me quoque tanti
Si facies, ſi me tali dignabere honore,
Quum memor ipſa mei fueris, tum nomine noſtro
Lon-

Longaevamque diem, & felicia cuncta precata,
Diva, tuum ſalvere jube ſuper omnia Martem.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM

ET GALEATIUM FLORIMONTIUM.

DUM vos fatidicos vates, arcanaque ſenſa
Volvitis, atque animum caeleſti nectare alentes;
Alloquiis, magnoque Dei conſueſcitis ori
Felices duce Giberto, Campenſe magiſtro:
Quid dicã miſerum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quaerentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem: quae ſe ubi paullum
Oſtendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, converſa ſequentem eludit, & angit
Moerentem ſeniique horas, caſſumque laborem?
Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum
Quae fluere ex ipſis dicuntur, perque meare
Omnia, dum ſector meditans, tacituſque requiro
Avia ſilvarum, & ſecreta ſilentia ſolus;
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis:
Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſſant,
Perq; fores, cauſaſque animae ludantque, meentque,
Ac remeent, ipſamque nec inter ſomnia linquant.
Ergo hoc eluſum ſtudio, feſſumque labore
Tandem me miſerata ſuos abduxit in hortos
Muſa memor, tetricumque animũ ſomno, atq; quiete
Curavit, numeriſque & blando carmine fovit.
Tum mihi: Quo tandẽ, o ſemper mortalia, quaerens,
Hanc colere uſque voles terrã? numquã ne relinques
Has tenebras, numquam ne in lucem lumina tolles?
An neſcis, quaecumq; hic ſunt, quae hac nocte teguntur,

 Omnia

Omnia res prorſus veras non eſſe, ſed umbras,
Aut ſpecula, unde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidẽ, & maria alta, atque his circumfluus aër,
Et quae conſiſtunt ex iis, haec omnia tenues
Sunt umbrae, humanos quae tamquã ſomnia quaedã
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Numquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunaeque globus, fulgentiaque aſtra
Cetera, ſint quamvis meliori praedita vita,
Et donata aevo im̃ortali, haec ipſa tamen ſunt (ctus,
Aeterni ſpecula, in quae animus, qui eſt inde profe-
Inſpiciens, patriae quodam quaſi tactus amore,
Ardeſcit. ſed enim, quoniam hic non perſtat, & ultra
Neſcio quid ſequitur ſecum, tacituſque requirit,
Noſſe licet circum haec ipſum conſiſtere verum,
Non finem: verum eſſe aliud quid, cujus imago
Splendet in iis, quod per ſe ipſum eſt, & principiũ eſſe
Omnibus aeternũ, ante omnẽ numerumq;, diẽque.
In quo alium Solem, atque aliam ſplendeſcere Lunã
Aſpicias, alioſque orbes, alia aſtra manere,
Terramque, fluvioſque alios, atque aëra, & ignem,
Et nemora, atque aliis errare animalia ſilvis:
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo, umbras quum jã ſatis, & ſpecula illa, ſuperq;
Spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atque ipſum perquirere verum.
Quod quoniã longe ſejunctum eſt corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem ſenſibus ullis
Naturam, ſcito eſſe animum tibi diſſociandum
Corpore, purgandumque omni contage recepta,
Terrena labe, & mortalis luminis hauſtu:
Quaerendaeque aliae ſilvae, calleſque tenendi
Sunt alii, meliorque, Deum quae ſemita monſtrat.

Haec

Haec Muſa. o ſi te comitem dent rura beata
Bardolena mihi, o qui nos propter amoenum
Benacum viridi ſilvis in litore ſiſtat:
Atque olea, lauroque tegat, detque abdita vatum
Senſa, & utramque Dei praecepta evolvere legem.
Rura, oro, GIBERTE, tuo Benacea vati
Da, virideſque oleas, & multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, & tua facta
Inclyta Maeoniis numeris ad ſidera tollet.
Ut puerum mirata ſacro cum Tybride Roma
Ante annos meritis titulis & honoribus auxit.
Ut res Romana, & ſacrorum tradita juſſu
Pontificum tibi ſumma in te uno ſaepe reſedit:
Ut ſeptem fremuere novis applauſibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu trajicis aequor
Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes
Alloquiis frenas, & coeptos ore tumultus,
Armaque, & hoſtiles animos, & praelia ſedas:
Foedera, amicitiaſque feris, pacemque reportas
Italiae, populiſque Dei. nec te tamen ingens
Terra capit. toto juvenem tot plauſibus Orbe
Exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus
In caelum vehit, & terrae dat ſpernere honores:
Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,
Ac ſolis Divorum epulis, & nectare paſci.
Haec ubi perpetuo cantavit carmine, & omnes
Reſpondent late rupes: tunc concitus oeſtro
Fatidico, plenuſque Deo, Davidica vates
Ipſe etiam pater interpres oracula ſolvit,
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnā,
Quam quondam Solymae ſtupuere arceſque Sionis.

AD FRANCISCUM TURRIANUM

VERONENSEM.

TURRI, ſi aut mihi villa & lar ſit laetior, aut tu
Ferre domum tenuem poſſis, parvoſque penates
Urbe procul ruri ſe ſe abſcondentis amici, (optem
Quantum ego te his mecum CAPHIIS in montibus
Montibus his, ubi, ſi querulae nemora alta cicadae
Non rumpant, equidem vix norim aeſtatis adeſſe
Tempora, tam leni miteſcit Julius aura!
Sed quid, ſi eſt anguſta domus, dum pulvere & omni
Munda ſitu: dum ſit nullo turbata tumultu,
Neſcia curarum, nullius conſcia culpae:
Alta ubi per totum ſit pax, & amica Camoenis
Otia, & integri per magna ſilentia ſomni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inſpicere, ipſe velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum caelo Jovis igne Typhoëa
Terrigenaſque alios, ſpirantia ſigna, videbis
Admirans opus aeterni memorabile Juli;
At bona Libertas aderit, quae rura beata
Praecipue inſequitur, ſimplexque incedit & exlex.
Hic tibi, ſi paullo digitus ſit inunctior, aut ſi
Potanti inſonuit cyathus, vel ſi pede utroque
Non ſteteris, nemo obiiciet, nemoque ſedentem
Arguet, hoc illi ſi fors ſuper incubuit crus.
Stare, ſedere, eſſe ex libito, & potare licebit.
Forſitan &, mihi quid vitae, quid ſit ſtudiorum,
Noſſe optas, quo vel damnes, vel ſingula laudes.
Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
Naſcentem, qui non alio conſurgit Eoo

Pul-

Pulchrior, unde nova laetantur ſingula luce,
Et ſilvae, ſcopulique, & pictis nubibus aër.
Parte alia Benacum alto de colle ſaluto,
Centum cui virides invergunt flumina Nymphae
Ipſe ſinu magno Genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut ſpectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulſas in paſcua capras.
Prae caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetae.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuſo.
Interea natos diſcentes ruſtica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui ſecum horae ſolatia portent.
Hic legitur, viridique toro, ſaxove ſedetur
Glandifera ſub fago, aut caſtanea hirſuta.
At variae circum ſilvis, & frondibus altis
Aſſuetae ludunt volucres, atque aethera mulcent.
Tũ denſum nemus, atque umbrae per gramina laeta
Jejunas nos invitant ſpatiarier horas.
At feſſi haec inter pueri ſitiuntque, dolentque
Plus aequo retineri, & jam Muſaſque, libroſque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycaei.
Ergo praecurrere, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores ſparſere nitentes.
Advenio. primas atro lita mora cruore,
Aut groſſi menſas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. Interea crebro ſonat area pulſu,
Increpitat ſeges, & duri ſub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & ad orea flagris.
Fit clamor, reſonat tellus rupeſque propinquae,
Et paleae ſurſum ſtrepitu jactantur inanes:
Laeta Ceres alto ridens deſpectat Olympo.

Umbra

Umbra diem reliquum, ſomnus, librique, viaeque
Producunt, dum ſiccam aeſtu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi caeruleis ſerus ſe ſe extulit undis
Veſper, & in caelum ſurgentia ſidera vexit,
Vicina e ſpecula, magni admirator Olympi,
Alta rupe ſedens natis aſtra omnia monſtro;
Accendoque animos patriae caeleſtis amore.
Illi admirari, & cognoſcere ſidera dicunt
Cepheaque, Arctonque, & ſervantē plauſtra Bootē.
Haec ergo praeferre urbi, & contemnere magna
Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has ſedes, haec limina magnus
NAUGERUS ſubiit, nec dedignatus adire eſt
BATTUS amor Muſarum, ipſum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hic me etiam deſueta Deae, medicumque, ſenemque
Carmina juſſerunt canere, & ridere beato
Illudentem urbem, & male ſani murmura vulgi.
Verum, haec GIBERTUS ne viderit ipſe, caveto:
Ni forſan Bubulone animum, curaſque relaxans
Propter aquam viridi laetus conſederit herba
Qua placidus leni deſcendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aſpernatur, & audit
Nos etiam, & noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam.
Verum, ubi ſe ſibi reſtituit, mentemque recepit
Illam alto intentam caelo, ſeu ſacra ſacerdos
Munera obit, totum ſeu contemplatur Olympum;
Tum ſupra & Muſas, & ruris Numina ſupra eſt,
Vitam agitans Divum, Diis ſe caeleſtibus aequans.

IN MORTEM ALIPRANDI MADRUTII.

IMPOSITUM quũ te pheretro, miſerande MADRUTI,
Cerneret illacrimans Caeſar, circumque videret
Et ſpolia, & victis erepta ex hoſtibus arma,
Et modo victrices juxta moerere phalanges,
Quantũ, inquit, tua Mors noſtris inimica triumphis
Laetitiae, decoriſque adimit! ſpes quanta futuri
Tecũ, ALIPRANDE cadit! Sed non tua vivida virtus,
Ut te hunc aſpicerem, tua non promiſerat aetas:
Sed fore, qui Solymis mecum atque Oriente ſubacto,
Barbaricis regum ſpoliis & mille trophaeis
Olim magna tui decorares templa Tridenti.
Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte Ducis veſtri, juvenes, & reddite matri
Exanimi: ſed & haec miſerae ſolatia ferte,
Tantum ipſam peperiſſe virum, qui Caeſaris uſque
Et comes, & bene geſtarum pars maxima rerum,
Caeſaris ex animo nullo delebitur aevo.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM.

PRISCAE virtutis, Romani & ſanguinis haeres,
FARNESI, quoniam nec Dii munuſcula laeta,
Deſpiciunt, hominum ſpicas, ac ſerta roſarum,
Libaque, & exigui devotum turis honorem:
Tu quoque (ſi mores imitari, ac facta Deorum
Praecipue Heroum eſt) non dedignabere parva
FRASTORI quae dona tui natuſque, paterque,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt;
Hos

Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos
Dat natus ſua dona canes. Scyllae inclyta origo
A Nilo eſt: Lycus a magno deſcendit Araxe.
Qui quondam Euganeas tranſmiſſi munus ad oras
Praeſtabant cunctis, ſive aprum figere morſu
Eſſet opus, rapidum curſu ſeu vincere cervum.
Horum igitur ſobolem natus tibi ab ubere matris
Nutriit ablatam, & noſtris exercuit arvis
Venatu aſſiduo, & vires durante labore,
Noſtrorum famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem, hunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis ſi forte ſequetur
Gloria; & ignota fors in regione juvabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Haec tibi: quae, quamquam triſti fugiente ſenecta
Laetitias cantuſque, tamen voluere Camoenae
In te unum, dominaeque mei, nimiumque potentes,
Ut canerem, Muſaque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanam, ac publica curas,
Si quando defeſſum animum, mentemque remittes
Liber, & ad dulces poteris te vertere Muſas,
Haee quoque noſtra leges: ea ſi dignabere tanti,
Inter Romanas ut eant ſpectanda Camoenas.
Quod ſi etiam recreare animum corpuſque juvabit
Venatu, & latos ſaltus ac denſa ferarum
Luſtra fatigare, & capreas agitare fugaces,
Tum canibus miſcere tuis, tecumque vocare
Ne pigeat nato miſſos. hirſutior ille
Cuncta niger, tantum pedibus & gutture canus,
Non invitus herum Tiberonis voce ſequetur.
Aſt Athiſo (namque hoc alter de flumine noſtro
Nomen habet) nec curſu impar, nec dente minaci

Se-

Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore,
Frontem albo pictus diſcrimine, pictus & albo
Cervicem, caudamque imam, pectuſque, pedeſque,
Addictus lateri numquam diſcedet herili:
Tantus amor domini: niſi forte cupidine praedae
Conſpectae impatiens etiam retinacula rumpat.
Hic tu, vel pulchro Calai; vel Tyndaridi alto
Polluci ſimiles, ſilvas latratibus omnes
Complebis, rupeſque hominum clamoribus altas,
Vectus equo Haemonio, & fulgenti clarus in oſtro.
Attonitae viſu diſcent nemora inter amare
Ruſticae Hamadryades, diſcetis amare, Dianae
Inſuetae Comites: volucri ſed concitus ille
Fertur equo, veſtroſque alio deportat amores,
Inſequiturque feras. ah, ne illum accenſa cupido
Venandi, excitos ſilvis impellat in urſos:
Ne in ſaevos impellat apros: tibi cura, Dione
Aeneadum genitrix, ſit cuſtodire Nepotem,
Et juvenem ilicea defeſſum ſiſtere in umbra.
Sat ſilvis animoque datum eſt: illum ſua Roma
Poſcit, & exſpectat lati res publica Mundi.
I, ſpes magna Urbis, rebuſque vocantibus adſis.
Interea, quando mihi Divus habebere ſemper,
Ipſe tibi CAPHIIS ſacras in montibus aras
Inſtituam, qua ſe ſummo de vertice collis
Tollit, & aequatum Benaci proſpicit aequor,
Et virides olea ripas, Patriamque Catulli.
Hic tibi ſolennemque diem, & renovanda quotannis
Sacra, tuo ſtatuam ſemper de nomine dicta.
Tunc roſa, tunc violae, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenaeque ſenem deceant, tunc texere flores,
Et viridem cano capiti impoſuiſſe coronam,
Laetitiaque diem & multo producere Baccho,
Fal-

Fallentem ſenium, & curas de corde fugantem.
Forſitan & Muſarum aliqua, & tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamque dabit: Deus ipſe canentē
Perque tuos annos, perque acta illuſtria ducet.
Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
Accinuit cantu Grajo, cantuque Latino,
Scilicet & fari lingua aſſuefecit utraque.
Ut puerum Aonio perfuſum labra liquore,
Per dulces Muſarum hortos & amoena vireta
Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monſtrante viam, nullaque Sororum
Non donante roſas, & ſerta virentia lauro.
Tum mores animumque dedit, ſenſumque ſenilem,
Atque Urbem regere, a ſacro ſplendere galero.
Nec jam Roma capit, ſed lata in regna vocatum
Ad pacem Europae, non te maria alta fatigant,
Non juga, non toties ſuperatis nubibus Alpes.
Te Poeninae arces, celerem te Norica ſaxa
Spectarunt rapido montana per ardua curſu,
Quantum Sol caeli, tantum telluris obire
Matre Dea comitante, & iter monſtrante Nepoti.
Nec ſatis haec: majora urgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata ſuperbis
Detrectare jugum Imperii, & ſe opponere Patrum
Sanctorum placitis, & ſacris legibus audet:
Nec jam Pontificum, nec jam ullos Caeſaris audit
Infelix monitus, ſed laevo numine Divum
Arma parat: ſocium Caeſar te poſcit in hoſtes,
Pro ſceptro Imperii, pro relligione Deorum.
Tunc primum attonitae gentes videre Latinae
Te, Fratremque tuum patria virtute, animiſque
Invictis pariter, res duri & munera belli
Tractantes: gemini quales duxiſſe feruntur
Tyn-

Tyndaridae pulchri Grajas in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
Viſa fuit: Ducibus tantis Mavortia pubes
Magnanimi Aeneadae, memores virtutis avitae
Bella cient: Italo pleni jam milite campi
Denſantur: jam procedunt longo ordine ſigna
Sublata in ventos, lateque inimica minantur.
Nec mora, jam ſummis Romanus miles, & arma
Alpibus apparent: concuſſae motibus illae
Fuderunt gemitus: longe vagus audiit Oenus,
Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pavidus fluxit demiſſis cornibus Hiſter.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,
Caraque in Hercynias traxerunt pignora ſilvas.
Sed quo me rapitis, Muſae? quid facta revolvo
FARNESI? Majora animo jam concipe, teque
Impavidum, invictumque, aliis accinge triumphis.

AD EUMDEM

ILLUSTR. ET REVERENDISS. CARDINALEM

ALEXANDRUM FARNESIUM,

CUI LIBROS DE CONTAGIONE DEDICAVIT.

HAEC ego florentes Sophiae digreſſus in hortos,
Italiae decus o Juvenis, FARNESIA proles,
Condebam, lectaſque tibi de more ſacrabam
Primitias, dum tu magni inter Caeſaris arma,
Gallorumque acies, recti paciſque ſequeſter
Res miſerae Europae fractas componis, & omne
Robur, & arma Dei Maumethem vertis in hoſtem,
Per-

Percurriſque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.
Fortunate nimis, quem cunctae applauſibus urbes
Excipiunt, Paciſque vocant Patremque, Deumque,
Inque caput, ſacroſque ſinus, humeroſque, manuſque
Et nigras violas, & candida lilia jactant.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Aſſurgit, feſtoſque dies, & ſacra Nepoti,
Solenneſque agitat pompas. denſi undique circum
Stant populi, & ſtudio ingenti, & clamore ſecundo
FARNENSUM genus omne, alto de ſanguine ductū
Aeneadum longa ſerie, ſuper aethera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille triumphos:
Aſſenſu reſonat Tybris, & Tyrrhena reſultant
Litora: ſepteni reſponſant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, praelataque longe
Progenies, ſive imperiis & Marte regendae
Sint res Romanae, ſeu Relligionis habenis.
Atque equidem e fracto Imperio, Romaque cadente
Servatam hanc ſtirpem fato, ſtatuentibus & Diis
Crediderim, quo Romanum per ſecula nomen
Staret, & ara Dei, quae primum maxima magis
Auſpiciis fundata fuit, ſit maxima ſemper.
Quo me, PAULLE, rapis, quo tuque Nepoſq; vocatis
Laudibus heroum inſuetum? tu maximus ille es,
Uni cui Regni triplicis capite alta tiara
Conſurgit, cui ſumma uni terna illa poteſtas
Terrarum, Caelique data eſt, vaſtique Profundi,
Illorumque aperire fores, & claudere poſſe,
Qui PETRI, CHRISTIQUE Ratem turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte revulſa,
Tempeſtatem omnem, atque adverſos diſcutis Euros.
Nec ſanctam ſine honore ſinis, ſine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine Cymbam,
Macte

Macte animo Romano, & macte ingentibus auſis.
At tibi quas, Juvenis fortunatiſſime, dignas
Attribuam laudes, generis ſpes altera tanti,
Inclyte ALEXANDER, puerum quẽ plurima Virtus,
Canaque conſurgens teneris Prudentia in annis,
Et ſpondens majora aſtris felicibus Aether
Ad ſummos meritum ante annos evexit honores,
Et ſacri geſtare dedit decora alta galeri?
En quantum de te ſacri ſibi Paſtor ovilis
Spondet AVUS tuus ille, animo quae gaudia verſat.
Forſitan & proprio non tam gaviſus honore,
Quam ſpe ſublatus, tanti & virtute Nepotis,
Neſcio quid majus praeſaga mente volutat:
Scilicet & gnarus fatorum, & praeſcius aevi
Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu
Sede ſua, ſolioque Dei, Diis proximus ipſis
Conſideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis
Gratetur, ſupplexque tuis ferat oſcula plantis.
O mihi poſtremae tantum dent Numina vitae
Ipſe etiam ut tum te tremulus, confectus & annis
Adſpiciam, ſanctoſque pedes proſtratus adorem.
O & ſi poſſim canere, & tua dicere facta,
Et ventura novo tecum ſecla aurea Mundo.
Nam video ſub te victum, longeque fugatum
Maumethem ſe Caucaſeis includere portis:
At Pacem viridi redimitam tempora oliva
Ire per Europam magnam, atque inviſere terras:
Quam pia Relligio, & junctis Concordia dextris,
Et Probitas, & Amor recti comitentur euntem.
Salve, magne Tybri. Salve & tu, maxima rerum
Roma parens, ſalvete arces, colleſque Latini;
Aurea qui primi longo meminiſtis ab aevo
Secula, quum nulli variarent jugera ſulci,

Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſae
Praeberent dulci victum de robore glandes:
Et nunc venturis eadem ſperetis ab annis.

AD JULIUM III. PONTIFICEM MAXIMUM.

MAXIME Divini Paſtor gregis, inclyte JULI,
In terris cui ſumma uni eſt conceſſa poteſtas,
Sceptra viceſque Dei gerere, & regna infera Ditis,
Caelorumque fores aperire, & claudere poſſe:
Si tu, dum magnae Italiae, dum proſpicis omni
Europae, & vaſta Mundi ſub mole laboras,
Paullisper potes a tantis ſecedere curis,
Et potes agreſtes paſtorum audire Camoenas, (Pan,
Nunc aures adhibe placidas mihi: Namq; ego, quae
Pan magnus cecinit noſtros ventura ſub annos, (eſt,
Nunc referã, tua, Magne Pater, pars maxima quorũ
Cujus ab auſpiciis Parcae nova ſecula volvunt.
Nec te poeniteat paſtorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formoſus Apollo
Pavit ad Amphryſi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare Deum ſub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet & tu etiam poſt grandia nomina Paſtor
Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare ſoles, pecudumque magiſtros.
Forte ego, dum medio terras Sol excoquit aeſtu,
Ipſe Sueſſani paſtor puer incola campi
Ducebam paſtas viridi de valle capellas
In nemorum ſecreta, umbras & frigora quaerens,
Qua placidus curſu deſcendit in aequora Lyris.
Eſt lucus, priſci quem ſacravere Latini
Silvano: in cujus medio denſa ilice cinctum

Eſt

Eſt pratum, agreſtes ubi Dii perſaepe videri
Audirique ſolent: hic capripedes Satyriſcos
Paſtorumque manum junctis per mutua palmis
In gyrum canere, & laetas agitare choreas
Invenio admirans. medius Pan magnus ovantem
Ad calamos, cantuſque regit ducitque coronam.
Dumque Deus canit ipſe, ſilet tum cetera pubes.
Dum ſilet ille, alii thiaſos, cantuſque, ſequentes
Inſtaurant, repetuntque Dei poſtrema canentis.
Ingeminat poſtrema nemus, reſpondet & Echo.
Tum me reſpiciens, mihi ſanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis paſtor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, & te his adjunge choreis:
Aut, ſpectare magis ſi te juvat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturae ſua ducant otia caprae.
Cui ego: Quin potius juvet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus, molli requieſcere in herba.
Et tum forte Deus buccas ſandyce rubentes
Inflans, & picea frontem praecinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, haec carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras:

Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.

Excipiunt juvenes, iterat nemus, aſſonat Echo:
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Tum ſequitur Deus. ante tamen Rex magnus Olym-(pi
Bellumque, horribilemq; famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coërcens
Caſtiget, fraudeſque hominum, faſtuſque ſuperbos,
Et luxus, & ſpes miſeras, & gaudia vana:
Dum tandem ſe ſe, atque Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum exſpectatum illud, quod carmine ſacro

Tot Vates cecinere pii, felicibus aſtris
Adveniet tempus, quo MONS ille arduus, ille
MONS ingens, ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſidereum qui vertice tangat Olympum:
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Hoc in MONTE Dei pecudes paſcentur & agni,
Graminis aeterni pingues, & velleris aurei.
Exſilient & aquae vivae, quibus ubera caprae
Grandia diſtendant, diſtendant ubera vaccae.
Non malus hic ſerpens, non noxia creverit herba,
Non ſentes, ſterilisve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta ſeges, ſed bis gravis uva racemis.
Corticibuſque cavae ſudabunt balſama pinus.
Hinc magnis praeſtantem animis, & fortibus auſis
Fortunata nimis Paſtorem haec ſecula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus aequi,
Divinas qui paſcat oves, & paſcua late
Extendat, pecudeſque ipſas, & ovilia ſervet.
Hic primum diram Alecto, & Cocytia monſtra
Caucaſea aerata religabit rupe catena.
Inde famem miſeram e Latio populiſque Deorum
Pellet in hoſtiles gentes, & barbara regna.
Tum laeta Ubertas, ſegetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas ſpicis venerabitur aras:
Quam circum pueri ſalient, & ruſtica pubes,
Ridenteſque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Muſis Damones & Alpheſiboei
Vota Patri magno, laudeſque & ſacra canentes
Aeternis illum numeris ad ſidera tollent,
Heroëmque, Deumque, ſalutiferumque vocabunt.
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;

Aurea

  Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Ille animum mox ad pacem, & diſcordia regum
Pectora convertet, ſanctiſque hortatibus iras,
Atque odia, & caecos regnorum & laudis amores,
Horrendamque ſitim caedis, fuſique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala ſemina belli:
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivae,
Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenaeus amator
Inviſent late populos, Latiique per arva
Laetitiam, riſuſque ferent: tum juſta cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hoſtes.
Jam video auguſtis late plena aequora velis
Fervere, jam trepidare vagi ſeptem oſtia Nili,
Euphratemque, Tygrimque ſuo ſe condere in amne.
Jam nec Bactra ipſum capiunt, non India tota
Maumethem fugientẽ, ipſum non Caucaſus ingens,
Non qui tot ſilvas, juga tot comprendit Imavus.
  Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
  Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Quaenam, quae properant tantae per caerula puppes
Devotae ad Tiberim, magnaeque ad moenia Romae,
Ceu denſae ad nidos latum per inane columbae?
Agnoſco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quae caelo olim, Diviſque fruantur.
En jam ſanctam Urbem, jam ſeptem in collibus aras
Impoſitas, ſummique pedes Paſtoris adorant.
Hos inter, video, & noſtri longa aequora ſulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. o ſoli quondam cantare periti
Paſtores, quos Juſtitia e tellure recedens
Poſtremos liquit, nunc rurſus laeta reviſit.

O ſancti, properate; vocat Deus aethere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque exſpectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoq; Maenala noſtra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulſi
Fugimus in Latium, longo poſt tempore tandem
Viſamus, dulcemque auram. o placidiſſime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycaei,
Quando ego per veſtros meditabor carmina lucos?
Maenalios quando recinet mea tibia verſus?
Maenalus auritas, danteſque oracula quercus
Semper habet, ſemper doctas ille audit avenas.
Concipe Maenalios, mea tibia, concipe verſus.
Talia cantabat memorans Pan magnus: at Anthus
Haec referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto
Nunc parvum: ventura dies majora reſervat.
Tum mihi fiſcellam dono dedit optimus Anthus,
Dicere & occaſus aſtrorum, dicere & ortus,
Et quid quaeque ferat tellus, quae commoda Baccho,
Quae Cereri, quidnam ventos, quid nunciet imbres,
Quae tempeſtatum, caeli quae ſigna ſereni:
Denique quae cunctis natura ſit indita rebus.
Virtutem in primis & honeſtum, quemque docere;
Ac vitii ipſe expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat paſtum deducere capras.

ACTII SYNCERII SANNAZARII CARMINA.

AD JOANNEM PARDUM HISPANUM.

PARDE, decus patriae, ſpes maxima, Parde, tuorũ,
Atque idem Hiſpani gloria rara ſoli:
Quem juvat immenſi cauſſas exquirere mundi,
Primaque conſtanti corpora juncta fide:
An magnum aeterno volvatur Numine caelum:
An propria hoc ingens mole laboret opus:
Cur ſalſi fluctus: cur ignibus aeſtuet Aetna:
Cur vomat epotas vaſta Charybdis aquas:
Unde nitor ſtellis: cur nox majorve, minorve:
Cur non ipſa ſuo lumine Luna micet.
Felix, caeleſtes cui fas nunc ſcandere ſedes:
In queis poſt obitum fata manere ſinant.
At nos per ſilvas, & ſordida rura, capellas
Verſamus: quando Phyllis amare jubet.
Et teneris noſtros ulmis incidimus ignes;
Quos legat errantum coetus Hamadryadum.
Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros:
Interdum ſaevas fallimus arte feras.
Saepe juvat, pictas viſco captare volucres:
Nec Satyris ipſo cedimus aucupio.
Quod mihi ſi liceat tenui revocare cicuta
Trinacrii niveas Upilionis oves:
Rura colam ſemper: populi valeatis, & urbes:

Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, paſtorum bella, palaeſtras
Adſpiciam, & celeri praemia parta pede.
Nec me poeniteat ſudibus certare colurnis;
Aut armare cavis pectora corticibus.
Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci:
Victores molli ceſpite ſerta ferent.
Plenaque pellitus luſtrabit ovilia paſtor:
Ponet & agricolis ruſtica liba Deis.
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum ſolennes ictus cadet agnus ad aras;
Ictus, ut innumeras expiet agnus oves.
Tum milium, & niveo ſtatuet fumantia lacte
Pocula; votivas concipietque preces:
Et ter tranſiliet flammantes potus ariſtas,
Ter quoque non tardo ruſtica turba pede.
Dii facite, inter oves, interque armenta canendo
Deficiam; & ſilvis me premat atra dies:
Ut me non docta deploret paſtor avena:
Utque ſub umbroſa contumuler platano:
Oſſaque paſcentes venerentur noſtra capellae:
Nec procul a tumulo candida balet ovis.
Exſultent alii Panchaeo munere Manes;
Et quaerant Pariis marmora caeſa jugis.
Mi ſat erit, veteres recolat ſi Phyllis amores;
Conſerat & vernas ante ſepulcra roſas.

AD JULIUM SENENSEM, EXSULEM.

QUUM mihi languentes dolor oppugnaret ocellos,
Cogerer & triſti ſolvere verba ſono:
Ingratos inter gemitus, moeſtaſque querelas
Allata eſt manibus litera miſſa tuis:
Inſpexi, agnovique tuas, mea Numina, Muſas,
Pierioſque hauſtus, Caſtaliumque decus.
Poſcis, ut iratum placent mea carmina Phoebum;
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non haec facundia noſtra eſt:
I, precor, atque alio flumine pelle ſitim.
Ille mihi faciles jampridem denegat aures;
Et vetat argutae tangere fila lyrae.
Nec mihi jam ſolito latices de fonte miniſtrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis exſtinctam dilapſo a torre favillam?
Quid miſer a noſtro vulnere quaeris opem?
Jam tibi felici decurrunt carmina vena;
Et rapit ad patrium te tua Muſa decus.
Ipſa mihi viſa eſt, te lamentante, Thalia
Ingemere, & triſti Delius ore queri:
Qualis Strimonias olim quum fleret ad undas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Iſmarii gelidis in rupibus Aemi
Adtonuit quercus, adtonuitque feras:
Saxaque Biſtoniis deduxit montibus; & te
Currentem adſtrictis, Hebre, repreſſit aquis.
Scilicet egregios ſemper Fortuna poëtas
Tanget, & ancipiti deprimet uſque rota?

Neve

Neve ſit extremos tantum ſubmotus ad axes
  Ille, Tomitana qui jacet exſul humo:
Te quoque nunc rigidi premit inclementia fati;
  Longius & patria cogit abeſſe domo.
Sed niſi per magnos quaeratur fama labores;
  Omnis in ardentes eſt abitura rogos.
Sic pius Aeneas, ſic ſtirps Laërtis Ulyſſes
  Majus poſt cineres emeruere decus.
Sic quoque ſublatis Tirynthius undique monſtris
  Viſit ab Oetaea regna paterna pyra.
Et te, crede mihi, tot ſaeva incommoda paſſum
  Virtus ſublimi ducet in aſtra via.

AD DIVUM JACOBUM PICENUM.

SANCTE Senex, quem nec ſceleris contagia noſtri,
  Nec peſſum vitiis ſaecla dedere ſuis;
Aequaſti magnos qui paupertate triumphos,
  Tantus amor niveae ſimplicitatis erat.
Silva tibi ſedes, viridique e ceſpite lectus,
  Explebant menſas amnis, & herba tuas.
Talis erat priſcis victus mortalibus olim.
  Sed priſcis tantum vivere cura fuit.
At te diverſos naturae expendere caſus
  Juvit, & inſtantes Divum aperire metus:
Submotumque oculis animo percurrere Caelum:
  Quaſque tenes ſedes, mente adiiſſe prius:
Noſcere praeterea cunctarum exordia rerum;
  Quod vix humanae conditionis erat.
Magnum opus, ut prima ſurgentis origine mundi,
  Omnia ſint ſenis edita luciferis:
Utque Pater ſancta demum ceſſare quiete
  Perfecto artifices juſſerit orbe manus.

His

His addis cultuſque pios, rituſque verendos,
Cunctaque legifero tradita ſacra Duci:
Quaeque ſuis caſtae ſaeclis cecinere Sibyllae:
Quaeque Sacer Vatum Spiritus ore refert:
Sidereos Partus, demiſſaque Pignora Caelo,
Atque inopes cunas, ſtramineumque torum:
Speratumque diu terris, Caeloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoque Deum.
Hinc & ſupplicium infandum, atque obprobria mortis,
Claraque de Stygia ducta trophaea domo:
Denique, ut ad Patrem populo ſpectante ſuorum
Ceſſerit; igniferis praeſideatque locis:
Quantaque nos maneant promiſſae gaudia vitae:
Quantaque venturae gloria lucis erit.
Miremur, tibi ſi placidi penetrale Tonantis,
Et patet immenſi regia clara poli:
Quum tantum his ſuperas meritis ſit ſcandere in arces,
Qua plaga ſecurum lactea monſtrat iter?
Scilicet inde datur terras ſpectare jacentes,
Et circumfuſi brachia curva maris,
Solis & ardentis radios, Lunaeque recurſus:
Qualiter & pacta ſtent elementa fide:
Nec minus aeternis niteant ut ſidera flammis:
Et peragant varias noxque, dieſque vices.
Felix, qui noſtras potuiſti linquere curas;
Et procul humanas deſpicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem;
Quaeque tibi gratos praebuit herba toros:
Quaeque arbor, rupeſve ſacra te fovit in umbra:
Et quae nunc Manes continet urna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita ſub antris;
Nunc pedibus data ſunt aſtra terenda tuis.
Attamen o dic, ſancte Pater, dic, addita Caelo

Gloria,

Gloria, dic, patriae fama, decuſque tuae:
Ecquid te ſolitis mulcet ſapientia chartis,
Mollis ubi Elyſium concitat aura nemus?
An juvat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana roſa?
An mage viriginеis ſedet invigilare choreis,
Quum deceat caelo, quidquid in orbe libet?
An potius toto Superum ſpectante ſenatu,
Diluis aethereo crimina noſtra foro?
Denique quidquid agis, nitidi novus incola Caeli,
Pectoribus noſtris non leve Numen eris.

AD PETRUM DE ROCCA FORTI,

MAXIMUM REGIS GALLIARUM CANCELLARIUM.

QUOD pectus tibi forte, quod ardua pectoris arx eſt;
Quod forti dignum pectore nomen habes:
Quod leges ſua jura tenent te vindice; quodque
Omnia virtuti pervia facta tuae:
Autumni ſedem, chelaſque Aſtraea reliqui;
Advenique tuos, noſter alumne, lares.
In cunis ego te, ſi neſcis, ſedula fovi.
Reptaſti gremio ſarcina grata meo.
Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque:
Ingeniumque ſagax, judiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuae.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
Inſuetis tendo ſollicitata malis:
Ne patiare, meas Latio langueſcere vires.
Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.

De-

Deprimor audaces inter deriſa miniſtros:
Nec fas ingenuum tollere ad aſtra caput.
Quodque diu partum eſt virtute, & fortibus armis
Imperium, foedae ſervit avaritiae.
Nec mirum, veſtro tantum quum diſtet ab orbe,
Terraque cenſura ſit procul illa tua.
Quis credat? tectis cives pelluntur avitis;
Adrogat injuſtas dum ſibi fiſcus opes;
Fiſcus opes miſerorum. hoc eſt, heu, parcere victis?
Hoc eſt Auſonio reddere jura ſolo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas, patriis exſpoliata bonis:
Culpatùrque fides domino ſervata priori,
Et maris, & terrae non labefacta minis.
Scilicet eſt crimen duram contemnere mortem:
Scilicet eſt reges crimen amare ſuos.
O bene fortunae memores, quicumque ſuperbas
Gentibus a victis abſtinuere manus.
Nam quamvis ſaevos illectet praeda tyrannos:
Magnanimos reges gloria ſola juvat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos;
Quaque licet faciunt nos ratione Deos.
At ſiquis ferae ſpernit praeconia famae,
Quercubus alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, Regem cui fas lenire potentem;
Da deſideriis vela ſecunda meis.
Effice, Juſtitiae ſoliti reddantur honores:
Dignus es, altricem qui tueare tuam:
Sed ſoror ut noſtros aequet Clementia faſces:
Qua ſine, dura nimis, difficiliſque vocer.
O decus, o lapſi ſpes conſtantiſſima ſaecli;
O vir fortuna fortior ipſe tua.
Sic tibi contingat, Solyma de gente triumphum,
Ca-

Captaque per noſtros ſigna videre duces.
Sic Rhodanum Nilo ſpectes dare jura ſubacto:
Perque Araris ripas plurima laurus eat.
Hoc ego te, mecum hoc Phoebus, doctaeque Sorores,
Hoc pietas, hoc jus, nobilitaſque rogant.

IN FESTO DIE
D. NAZARII MARTYRIS,
QUI POETAE NATALIS EST.

ECCE mihi totum lux exſpectat per annum
Jam redit; Aoniae ſerta novate Deae.
Haec me vitales genitum produxit in auras;
Juſſit & erectum tollere ad aſtra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate hyacinthis:
Cingite & intexta limina noſtra roſa.
Sic etenim coluiſſe decet Geniumque, Lareſque:
Ferte coronato tura, merumque foco.
Tuque apio innexos dudum acceptura poëtas,
Splendida ſolennes inſtrue menſa dapes.
Hic mihi puniceo Pontani Muſa cothurno
Incipiet poſito carmen hiare mero:
Naturaeque vias, tenerique exordia mundi
Proferet; & certa cuncta obitura die.
Craſſus at aeterno frondis redimitus honore,
Solvat Pieriis ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
Oſtendatque Atavi regna opulenta mei:
Regna male ad ſeros heu perventura nepotes;
Dum verſat varias Sors inimica vices.
Altiliuſque novos Superis laturus honores,

Pin-

Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sforciadum mox dicat, Aragonioſque hymenaeos:
Jure quibus cantus aequet, Homere, tuos.
Nec gemat exſilium Spartani Muſa Marulli,
Ventura ad noſtras ingenioſa dapes:
Verba ſed antiqui reddat, numeroſque Lucretii;
Dum magnis Divos laudibus accumulat.
Adde tuos, Puderice, ſales; adde inclyta Patris
Eloquia; adde animo tot bona parta tuo.
Jamque Panhormitae luſus, & ſcripta recenſe,
Et Jovianaeae tempora amicitiae.
Hos inter meritis rediens Aquivivus ab armis,
Prodat honoratae praemia militiae:
Atque choris princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumque ſuis referat dogmata principiis.
Ipſe autem haud dubitet Cabanilius acta referre
Vel ſua, vel magno juncta Parentis Avo.
Nec Phoebo minus ipſe ſuo, quam Marte probatus,
Phocaïco pexas tingat in amne comas.
Tu quoque, quem juvenem veneror, dulciſſime Garlon,
Incipe jam docta plectra movere manu:
Alliſaſque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
Sidera per tacitum nocte ſequuntur iter.
Talibus auſpiciis geniales ducere caenas,
Theſpiadumque modis concelebrare juvat.

AD RUINAS CUMARUM,

URBIS VETUSTISSIMAE.

HIC, ubi Cumeae ſurgebant inclyta famae
Moenia, Tyrrheni gloria prima maris;
Longinquis quo ſaepe hoſpes properabat ab oris,

Vi-

Viſurus tripodas, Delie magne, tuos;
Et vagus antiquos intrabat navita portus,
Quaerens Daedaliae conſcia ſigna fugae:
(Credere quis quondam potuit, dum fata manebant?)
Nunc ſilva agreſtes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
Nunc claudit ſaturas veſpere paſtor oves.
Quaeque prius ſanctos cogebat curia patres,
Serpentum facta eſt, alituumque domus.
Plenaque tot paſſim generoſis atria ceris,
Ipſa ſua tandem ſubruta mole jacent.
Calcanturque olim ſacris onerata trophaeis
Limina: diſtractos & tegit herba Deos.
Tot decora, artificumque manus, tot nota ſepulcra,
Totque pios cineres una ruina premit.
Et jam intra ſolaſque domos, disjectaque paſſim
Culmina ſetigeros advena figit apros.
Nec tamen hoc Graiis cecinit Deus ipſe carinis:
Praevia nec lato miſſa Columba mari.
Et querimur, cito ſi noſtrae data tempora vitae
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.
Atque utinam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & a longa poſteritate ferar.
Nec tu ſemper eris, quae ſeptem amplecteris arces:
Nec tu, quae mediis aemula ſurgis aquis.
Et te (quis putet hoc?) altrix mea, durus arator
Vertet; &, Urbs, dicet, haec quoque clara fuit.
Fata trahunt homines: fatis urgentibus, urbes,
Et quodcumque vides, auferet ipſa dies.

DEOS

DEOS NEMORUM INVOCAT IN EXTRUENDA DOMO.

DII nemorum, ſalvete: ego vos de rupe propinqua,
De ſummis patriae moenibus adſpicio:
Adſpicio, veneror que, cavae mihi plaudite valles;
Garrula vicinis perſtrepat aura jugis.
Vosquoque perque focos felicia dicite, cives,
Verba, per inte&ctas flore decente vias.
Victima ſolennes eat inſpectanda per aras,
Turbaque Palladia fronde revincta comas.
Moſque ut ab antiquae repetatur origine Romae,
Exterior forda cum bove taurus aret.
Ac prius infoſſo tectum quam cingere ſulco
Incipimus, juſtos ture piate Deos.
Nulla per obductum decurrant nubila caelum:
Candidaque auguſtum concinat omen avis.
Exſurgat paries, ventos qui pellat, & imbres;
Qui multa circum luce ſerenus eat.
Adſit diſpoſitis ſeries concinna columnis;
Quaeque ornet medias crebra feneſtra fores.
Ipſe biceps primo cuſtos in limine Janus
Occurrat laetis obvius hoſpitibus.
Protinus a dextra ſacrae, mea turba, Sorores
Cingant virgineis atria prima choris.
A laeva nitidis ſtratum Pythona ſagittis
Miretur poſita Cynthius ipſe lyra.
Aedibus in mediis parvi ſinus amphitheatri
Viſendas regum praebeat hiſtorias.
Ac primum triplici ſe ſe defendat ab hoſte
Fernandus rapido jam metuendus equo.

Alfonſuſque pharetratas, dira agmina, gentes
  Cogat Hydruntinis cedere litoribus.
Tum juvenis Rex ipſe, & Regum inſignibus auctus
  Alpinos adigat linquere caſtra Duces.
Poſtremo Federicus, avito laetus honore,
  Dalmaticas grandi claſſe refringat opes.
Infeſtoſque Deos, metuendaque jura minatus,
  Indicat Nato bella gerenda ſuo.
Hic bene conveniens membris variantibus ordo
  Adſpiciat celebres e regione ſitus.
Exhedrae, xyſtique, tablinum, hypocauſta, diëtae,
  Et quae privatis uſibus apta velim.
Atque aliae Occaſus, aliae vertantur in Ortus,
  Quaeque habeant Boream, quaeque inhibere Notũ.
Jungantur longis quadrata, obliqua rotundis:
  Et capiat ſtructos plurima cella toros.
O ſtudiis placitura meis, o mille per artes
  Otia Piëriis noſtra juvanda modis.
Hic ego tranquillo tranſmittam tempora curſu;
  Dum veniat fatis mitior hora meis.
Viximus aerumnas inter, lacrimoſaque Regum
  Funera: nunc patria jam licet urbe frui:
Ut quod tot curae, tot detraxere labores,
  Reſtituat vati Parthenopea ſuo.

AD VILLAM MERGILLINAM.

RUPIS o ſacrae, pelagique cuſtos,
  Villa Nympharum domus, & propinquae
Doridos, regum decus una quondam,
    Deliciaeque;
Nunc meis tantum requies Camoenis;
  Urbis inviſas quoties querelas,

Et

Et parum fidos popularis aurae
Linquimus aeſtus:
Tu mihi ſolos nemorum receſſus
Das, & haerentes per opaca laurus
Saxa: tu fontes, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam ſimul te te repeto; tuaſque
Sedulus mecum veneror Napaeas:
Colle, Mergillina, tuo repente
Pegaſis unda
Effluit, de qua chorus ipſe Phoebi,
Et chori Phoebus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi jam canenti
Ducere rivos.
Ergo tu nobis Helicon, & udae
Phocidos ſaltus, hederiſque opacum
Theſpiae rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.
I, puer, blandi comitem laboris
Affer e prima citharam columna;
Affer & flores; procul omnis a me
Cura recedat.
Principis noſtri decus, atque laudes
Fama, per latas ſpatiata terras,
Evehat, qua Sol oriens, cadenſque
Frena retorquet;
Quaque non notos populos, & urbes
Damnat aeternis Helice pruinis;
Quaque ferventes cumulos arenae
Diſſipat Auſter.
Ille creſcentes veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum

Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen avorum;
Contulit large numeroſa dextra
Dona; & ignavae ſtimulos juventae
Addidit, ſilvas, & amica Muſis
Otia praebens.

DE FONTE MERGILLINES.

EST mihi rivo vitreus perenni
Fons, arenoſum prope litus; undae
Saepe diſcedens ſibi nauta rores
Haurit amicos.
Unicus noſtris ſcatet ille ripis,
Montis immenſo ſitiente tractu,
Vitifer qua Pauſilypus vadoſum ex-
currit in aequor.
Hunc ego vitta redimitus alba,
Flore, & aeſtivis veneror coronis;
Quum timent amnes, & hiulca ſaevum
Arva Leonem.
Antequam feſtae redeant Calendae
Fortis Auguſti, ſuperantque Patri
Quatuor luces; mihi tempus omni
Dulcius aevo.
Bis mihi ſanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque ſemper
Turis acerra.
Namque ab extremo properans Eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phoebus illuxit, pariterque dias
Hauſimus auras.

Hac

Hac & inſigni peragenda ritu
Sacra ſolennes veniunt ad aras;
Nazari unde omnes tituli, meaeque
Nomina gentis;
Nazari vaſtas cohibentis undas
Aequoris, ſaevoſque domantis aeſtus,
Quidquid & vani truculenta juſſit
Ira Neronis.
O decus caeli, ſimul & tuorum,
Rite quem parva veneramur aede;
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dediſti:
Huc age; & fontem tibi dedicatum
Saepe reviſe.

AD DIVUM NAZARIUM.

DIVE, cui vaſti metuenda ponti
Vis, & iratae famulantur undae;
Quem per & ſpumas gradientem, & aeſtus
Nauta vocavit,
Ah miſer poenas pelago daturus,
Quum niger circumſtreperet procellis
Auſter, & turbata minax feriret
Sidera fluctus:
Te, mihi ſanctum, patriumque Numen,
Te canam, gentis columen Latinae
Auream prolem patris Africani,
Perpetuaeque
Matris heu vulnus grave, dum relictis
Tybridis ripis, italoque caelo,

Sponte trans Rhoetos iter, & nivoſas
Arripis Alpes;
Lacte depulſus, velut ille, primi
Quem rapit curſus generoſus ardor,
Pullus, & matrem fugit, & rapaces
Tranſilit amnes.
Mox & ad Rhenum, horribileſque tendis
Treverum gentes animoſus hoſpes,
Morte feſtinans capere invidendae
Premia palmae.
Hic, ubi e carae gremio parentis,
Jam necis magnae comitem futurum,
Excipis Celſum, Pater, & ſalubri
Perluis unda.
Perluis totas, mora nulla, & urbes:
Undique exhauſtis properatur agris:
Barbaros gaudent Druydae ſacrorum
Ponere ritus.
Nazari nomen, meritique famam
Audiit, ſiquem Liger in remotis
Occulit ripis, refugove inundat
Sequana curſu.
Te neque injuſti rabies Neronis,
Impios jam jam minitantis ignes,
Non per exſertos Anolinus urgens
Terruit enſes.
Jam voluptatum, gelidaeque victor
Mortis, & lapſi reparator orbis
Diceris, mileſque peraeque Iberis
Notus, & Indis.
Ergo ſperatum, Genitor, triumphum,
Et parum factis meruiſſe Caelum eſt;

Aureum

Aureum vultu jubar, & coruſcos
Fundis honores.

Salve io, magni nova lux Olympi,
Cui per extentas operoſa terras
Templa tot ſurgunt, calidiſque fumant
Ignibus arae.

Nos tibi hac grata ſcopulorum in umbra
Rite parvis aediculam columnis
Ponimus: nos perpetuo ſacramus
Munere fontem.

Accipe aeſtivam, nova ſerta, citrum, &
Virgines lauros, gracileſque myrtos,
Quoſque Mergillina tulit propinquo
Litore odores.

O mihi longos liceat per annos
Hic ſacra, & feſtos renovare ludos,
Et tutum caſtis ſine fraude votis
Poſcere Numen.

IN TUMULUM COTTAE VERONENSIS.

SPERABAS tibi docta novum Verona Catullum:
Experta es duros bis viduata Deos.
Nulla animum poſthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quae tamen ut vidit morientis frigida Cottae
Ora; ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

IN TUMULUM LADISLAI REGIS.

MIRARIS niveis pendentia ſaxa columnis
Hoſpes, & hunc, acri qui ſedet altus equo.
Quid ſi animos, roburque Ducis, praeclaraque noſſes

Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis dejecit ſedibus hoſtem:
Biſque triumphata victor ab urbe redit:
Italiamque omnem bello concuſſit, & armis
Intulit Etruſco ſigna tremenda mari.
Neve foret Latio tantum diademate felix;
Ante ſuos vidit Gallica ſceptra pedes.
Quumque rebellantem preſſiſſet pontibus Arnum:
Mors vetuit ſextam claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, faſtuſque attolle ſuperbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

AD FEDERICUM REGEM.

Clausa quod effoſſis erumpunt oſſa ſepulcris,
Et reſerant veteres putria ſaxa rogos:
Nimirum tanto cupiunt ſub Principe Manes
Vivere; & ad nutus Umbra vocata venit.
Utque decet, longo manſuras tempore ſedes
Spondent; & regnis otia laeta tuis.
Quaeque diu ambiguis tecum Fortuna vagata eſt
Paſſibus; hic certa ſtat bene nixa rota.
Sume animos, Federice: tuis hic meta periclis
Haeret: habent Manes, & pia buſta fidem.

DE MIRABILI URBE VENETIIS.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Jupiter, arces
Obiice, & illa tui moenia Martis, ait.
Si Pelago Tybrim praefers; Urbem adſpice utramque:
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDAE CARMINA

LYCIDAS. AMYNTAS.

ABSENTEM Daphnī Lycidas, & pulcher Amyntas,
Paſtores ambo, pueri ambo, ad Tybridis undam
Flebant, & querulo mulcebant flumina cantu.
Dicite vos Muſae, & juvenum memorate querelas,
Dicite: nam motas ipſas ad carmina cautes,
Et requieſſe ſuos perhibent vaga flumina curſus,
Incepit Lycidas: Lycidae nam cedit Amyntas.
Has o qui ſaltem voces tibi ventus ad aures
Daphni ferat, noſtrum Daphni abſens noſce dolorē.
Nunc ſeu te immemorem noſtri, pecoriſque relicti
Oblitum patria arva juvant, & paſcua tantum
Thuſca tibi cordi Latii pro pinguibus agris,
Antiqui Latii, & pro flavo Tyberino
Dilecti ripas formoſas accolis Arni:
Seu tibi (quando urgent ſic Divum triſtia juſſa)
Saepe animo occurrit quam pinguia liqueris arva.
Dumque acrem fruſtra quaerens lenire dolorem,
Secretos lucos ſolus, ſecreta pererras
Litora, ad hos coeli convertis lumina tractus,
Et tacitus tecum dicis: mea gaudia tellus
Illa habet, illa meos longe plaga ſervat amores.
Daphni tuos abitus noſtris in montibus urſi
Informes gemuere: ferae luſtra alta tenentes

Au-

Auditae aëreis in verticibus ululaſſe.
His paſſim audiri laeta olim carmina in oris,
Carminaque & dulces paſtorum ſemper amores.
Nunc circum ſilet omnis ager, nunc paſcua muta:
Haec ſubito liquit tecum omnis rura voluptas.
Hic aderas, aderant ſimul & fluvialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per litora Fauni.
Hinc abes, hinc abſunt ſimul & fluvialia Nymphae
Numina, Nympharumque timor per litera Fauni.
Formoſi hic tecum montes, formoſaque prata:
Te ſine deformes montes, deformia prata.
Non horti flores apibus, non ſidera rorem
Sufficiunt, gelidae non linquunt arva pruinae.
Vix paucas aeger deſerto in litore Amyntas
Ducit oves, paucas deſerta in rupe capellas,
Horrentique rubo, & carice paſcit acuta.
Ah puer infelix: cui tu dum paſcua chara
Commendas, & oves fido, atque armenta recedens,
Et triſtis, dilecte vale, vix inquis, Amynta,
Nil potuit contra praelargo reddere fletu.
Illum, ſingultus dum non compeſcere longos,
Aut lacrimas valet, aprico de colle juvencae
Fluminis immemores, & graminis admiratae
Indigno flentis pueri doluere dolore.
Sic Lycidas ſubito, ſic deinde ſequutus Amyntas.
Illa luce & oves, fluvios, ac pabula laeta
Fugere, & ſaturis ipſi praeſepibus ultro
Abſtinuere boves clauſi foenilibus, & vos
Tardius ah miſerae rediiſtis monte capellae.
Ut fontes ſine aquis, vario ut ſine gramine prata,
Ut ſine ſole dies, lunae ut ſine lumine noctes,
Haec ita moeſta ſuo ſquallet ſine Daphnide tellus.
Daphni decus ruris, paſtorum Daphni voluptas,
Quae

Quae modo ſurgebant tuguri tua culmina ad auras
Tybridis in ripa, nunc ſemiſtructa videntur,
Ipſa etiam abſentem dominum deſerta morari,
Illac praeteriens ſubſiſtit ſaepe viator,
Sive viam carpit pedibus, ſeu puppe per undas,
Et ſecum admirans, quondam haec felicia tecta,
Felices inquit horti, cum Daphnis adeſſet:
Nunc infelices horti, infelicia tecta.
Parcite cuſtodes pecoris, cohibete capellas,
O vos o cohibete & oves, hoedoſve petulcos,
Ne vites carpant immiti dente novellas,
Quas poſuit modo diſcedens hinc ordine Daphnis,
Et dixit: tamen iſta mei monimenta manebunt.
Creſcetis vites, vobiſcum conſita creſcet
Ulmus, & exſilii noſtri numerabitis annos.
Sic ait, & dulci ſeſe divellit ab ora
Invitus, triſtiſque tamen ſubſiſtit & haeret
Hic illic, colles & reſpiciebat amatos,
Optabatque oculos in chara linquere terra.
Paſtores aderant, omnes de collibus illum
Spectabant moeſti procul, ac diſcedere flebant,
At tu vive memor ſaltem pulcherrime noſtri,
Vive tui memor o Lycidae pulcherrime Daphni.
Forſitan &, ſi quis caelo Deus adſpicit alto
Paſtorum curas, noſtri miſerebitur olim
Mitior, & charis reddet te protinus oris.
Sic pueri paribus ſe dum ſolantur avenis,
Illorum ſera Tybris ſub nocte querelas
Miratus flavum vitreis caput extulit antris,
Et vos ex imo gemuiſtis Naides amne.

JOAN. MATTHAEO GIBERTO.

ME me rura juvant mea,
Optatoque diu perfruor otio,
Per te quod peperi mihi,
Giberte o animi ſola quies mei:
Pro quo mille adeam neces.
Nunc aeſtus vacuum glandifera juvat
E vitare ſub ilice:
Nunc audire Noti murmura garruli,
Denſas per nemorum comas,
Haud longe ſcatebris fontis ab algidi.
Nec me deſidiae tamen,
Aut tu me argueris turpis inertiae.
Canto nam modo carmina,
Ad praeſcripta modo me ſapientium
Emendans animum colo.
Princeps te interea detinet urbium
Roma, principibus viris
Gratum, inter proceres nobilem honoribus.
Suſpiras tamen, & doles,
Fortunam cupiens per ſimilem meae,
Mecnm ut ſaepe negotia
Urbana, ac varias ſollicitudines
Deteſtaris, & angeris,
Felicemque vocas me ter, & amplius.
Ut verum fatear tibi,
Permutare negem: tu tamen haec cape,
Haec ſolatia amiculi,
Sortem aequa ut levius mente feras tuam.
Sunt mortalibus omnia
Diviſa ſtudia, ac munera diſparis

Vitae

Vitae: ut quiſque humeris valet,
Divis cuique ſuum diſtribueutibus
Aequo judicio omnibus.
Non foſſorve oviumve arbiter horridus
Clavum temperet urbium.
Non, quem templa juvant, curiave, aut forum,
Mulcet divite mercium
Mutator pelagus Carpathium rate.
His tu temporibus datus,
Eſſes ut patriae praeſidium, ac bonis.
Has natura tibi dedit
Artes: hoc dederint dii ſtudium tibi.
Ten' dices miſerum rogo?
Nec contentus eris ſorte tua dolens?
Urbs te magna Quiritium
Mirata eſt puerum, publica munera
Tractantem graviter diu
Vix nunc quarta tibi condita olympias,
Regum conſiliis tamen
Jandudum gravibus conſcius interes.
Omnes Italiae angulos
Feciſti meritis jam memores tui.
Omnis jam tibi Gallia,
Germanuſque ferox funera nil pavens
Debet, debet atrox Geta,
Debent Sauromataeque; & Morini ultimi,
Debent inſtabiles Scythae,
Et tellus ubicunque eſt habitabilis.
Sed nil eſt quoque, ſi ſapis,
Quod noſtra haec inhies uſque adeo ocia.
Ipſi quaerimus in dies
Doctrina ſtudioque hanc ſapientiam,
Quam nec forſitan aſſequi

Unquam

Unquam fata dabunt, aut labor irritus.
Hujus tu nihil indiges.
Fers tecum puer hanc matris ab ubere
Raro munere coelitum,
Externaque ubi nulla opus eſt ope.

LEONI X. PONT. MAX.

ECQUIS o laetam Leo gratus urbem
Erigit rumor fera te parare
Barbarae jamjam Latio imminenti
Funera genti?
Macte qui tantos animos ſuperbus
Concipis: magnis nova te triumphis
Gloria invitat, nova laurus, o ter
Maxime regum.
O diem illam, qua rediens in urbem
Arduis figes ſpolia ampla templis,
Quem duces omnes ſacra Vaticani ad
Limina ducent.
Ante dejecti capita alta reges
Efferi incedent: minor ibit ille,
Qui modo devicto oriente Romae
Dira minatur.
O ubi hic captas numerabis urbes,
Et ducum vita exuvias carentum,
O tuum quae tunc merito laceſſent
Gaudia pectus.
Ergo age arrectam Auſoniam, & paratos
Publica Europae voca ad arma reges,
Jamque ſpumoſum videam latere
Claſſibus aequor.
Hoc avent omnes Itali, exterique.

Ge-

Geſtiunt cunctis animi: paratur
Martis ad praeclara opera, & labores
Pulcra juventus.
Ipſe ego, quamvis alia nitere
Mens erat lauro, ardeo nunc amore
Martis, amorumque tui relinquunt
Phoebe calores.
Nunc vocant artes aliae: juvet me
Jam gravem ferri ſtrepitum, tubaſque
Horridas audire, juvet ruentes
Cernere turmas.
Jam mihi denſum videor per agmen
Caſſide incluſus caput inſuetum,
Funera horrendum fera fulminanti
Spargere dextra.
Non ego pro te, laribuſque & aris,
Horream extremos penetrare ad Afros:
Non ego Xanthum galea cava po-
tare, nec Indum.
Pulveris multum, patienſque ſolis
Ibo quo Bellona vocabit, & Mars,
Hoſtium irrumpens cuneos ahena
Luce coruſcus.
Et mihi pectus, mihi ſanguis & vis
Vivida eſt, praeſens animus: trementi
Barbari tellure cadent mea ſub
Cuſpide reges.
Ante me haud alter vacuus timoris
Audeat muros ſuperare capti
Oppidi, nemo prior obſtinatas
Rumpere in arces.
Forſan & veſtros aliquis triumphos
Dum canet vates Aſiam, Africamque

Cedere, & victum juga veſtra ferre
Protinus orbem:
Me quoque heroas memorabit inter
Maximos: noſcent animae in periclis
Prodigum, expertemque metus futura
Secula Vidam.

CLEMENTI VII. PONT. MAX.

CLEMENS iniquis temporibus date
Tu ſemper alto pectore maxima
Verſas, & urgeris regendo
Sollicitis ſuper orbe curis.
Clades receptae nunc etiam tibi
Fruſtra recurſant; nec requieſcere
Sinunt moleſtae, dum peritus
Mente caves vigili in futurum.
Quieſce tandem, & cuncta videntibus
Haec linque divis, vive, nec omnibus
Angare defraudans querentem
Uſque adeo genium diebus.
Res ipſe ſummus caelicolum Arbiter
Noſtras profundo numine temperat,
Cauſiſque cauſas uſque nectit
Perpetua in ſeriem catena,
Quam nulla poſſit vis hominum aut deum
Loco movere, hinc dura neceſſitas
Illa illa non aequos labores,
Aut homini bona fert inempta.
An tu illa, noſtris quae modo vidimus
Bacchata terris bella, tot urbium
Graves ruinas, tot virorum
Funera, perpetuaſque clades,

Prae-

Praeſente quanvis conſilio potens
Solo Latino avertere quiveris?
Deique decretum refringas
Duro adamante tot ante ſaeclis
Inciſum? avorum haec parturiit ſcelus,
Dilecta patrum. his nos agitant malis
Noſtro & merentes crimine, illi haec
Semina poſt obitus relinquunt.
Tu morte pejus militiae ſciens
Bellum horruiſti ſemper, & aleam
Periculoſam pare certus
Cuncta pati potius manente.
Te bella circum te tamen undique
Venere, (inevitabile erat malum)
Longeque deductae haud volentem his
Motibus implicuere cauſſae.
Pejora multo nunc quoque plurima
Nobis minantur ſidera, ni Deus
Ille ipſe placatus reflectat
Conſilia in melius ſevera,
Orandus ille eſt, ipſe potens enim
Unus morari quae properant mala,
Soluſque, quam praefixit olim,
Ipſe poteſt abolere legem.
Noſtris rogatus forſitan annuet
Votis, ab alto plurimus aethere
In noſtra dilapſus benigno
Pectora numine ſe refundet.
Sed ante mens eſt cuique latentibus
Purganda morbis. ſunt quoque luridi
Mores retractandi ultra nec
Progrediendum iter inſtitutum.
Tu ſacra vero, tu pater, ut decet,

Tractabis aris praeficiens bonos,
Proculque ſacris inquinatum
Vulgus honoribus amovebis.

P A C I.

PAx alma, dulce ubique nomen gentibus,
Inter deos pulcherrima
Pulcherrimos, quam me tui exſpectatio
Torquet moranti ah nimis.
Tuumne diva vivus adventum amplius,
Tempus videbone aureum?
Unquamne erit, mundum his tenebris obſitum
Tuo ut ſerenes lumine?
Quando expetentem me dea ſpe id irritu
Tanto beabis munere?
Vereor, laborioſa ne longe prius
Vincat ſenectus languidum,
Quam rurſus urbes divites conviviis
Ludiſque diſtinerier,
Quam rura videam cantibus laetiſſimis
Omni ſonare ab angulo:
Uniſque ventorum duellis aequora
Metuenda non Martis dolis.
Ut omne telum pereat, ut chalybum genus
Haud nominetur amplius.
Ut regum avarities, & ambitio impotens
Sepulta ſit ſub aequiore:
Abſente te, vix uberes alunt agri
Nunquam colonum deſidem.
Praeſente vero, nuda ſaxa qui colit,
Vel dormiens bonis fluit.
Tu grata Muſis, tu in foro verſantibus

Pla-

  Places, & urbi praeſides.
Tu merce tranſmarina opes parantibus
  Voto invocaris publico:
Te divites, te ubique pauperum greges
  Laborioſi praedicant.
Tibi viri, tibi pudicae mulieres
  Praegeſtientes ſupplicant.
Tui ſenes, tui pueri amantiſſimi,
  Tui omnis aetas appetens.
Tu, ſiquid eſt mortalibus boni uſpiam,
  Id una nobis comparas.
Tu ſanitatem gentibus, ſacraque, & opes,
  Et victum, & annonam, & merum,
Securitatem, literas, & otium,
  Et nuptias, & liberos,
Vitamque tandem affers amica cantibus,
  Adverſa vero luctibus.
Tui ſimul Mars hauſerit pedis ſonum,
  Faceſſet hinc celerrimus.
Simul quieſcent furta, caedes, vulnera,
  Strages, ruinae, incendia,
Tot orbitates, liberorum tot ſtupra,
  Crebrique raptus virginum.
Nec audietur amplius clangor tubae
  Viros cientis ad necem,
Juvenemque vellentis tenello ab conjugis
  Gremio metu inſperſum genas.
Quae, pluraque viri ſi viderent principes
  Cum bella initio cogitant,
Vel abſtinerent, vel quibuſvis ponerent
  Mox coepta conditionibus,
Neque eos libido, neque adeo ageret gloria,
  Ut perderent caeci omnia.

Iſtis ſi ego ab malis procul tandem abſiem
Tranquillitati redditus,
Videamque pendentes acervos arduis
Scutorum ubique poſtibus,
Araneorum fila quos obduxerint
Nigros vetuſto in pulvere,
Enſeſque rurſus ferreaſque cuſpides
In vomerem conflarier,
Vitam haud recuſem pauperem traducere
Fodiens agrum incurvus manu,
Saltem animus ablatis mihi his terroribus
Quieſceret liberrimus.
Poſſem laborem verſibus ſolarier
Cinctus olea canum caput.
Et nocte pauculos revolverem libros
Vel imbre detentus die,
O diva largitrix bonorum una omnium,
Quo te vocabo nomine?
Quibus te honeſtis efferam praeconiis?
Dignum unde te verbum exprimam?
Opulenta ſalve. jam recurrere huc aurea,
Et nos tuo vultu bea.

ROMA DISCEDENS.

ROMA vale: tibi debeo plurima, quod mihi per te
Partum eſt ingenuis artibus, unde habeam,
Nec jam egeam addictus nulli. mihi id eſt ſatis abs te.
Caetera quae poteras mihi dare, linque aliis,
Pluſque meis oculis abſens te ſemper amabo,
Et procul, ut colimus numina ſancta, colam.

JESU CHRISTO
OPT. MAX.

ET ſolus late locus eſt, & fletibus aptus;
Et rediit, qua non moeſtior ulla, dies.
Ipſi etiam montes, denſae hac in rupe cupreſſi;
Ipſae etiam quaerulo vertice flere jubent.
Tunc etiam ſilices durum ſenſere dolorem,
Et rupti ingenti diſſiluere ſono.
Tunc etiam ſed jam erumpit mihi pectore fletus,
Et lacrimas oculi fluminis inſtar agunt.
Flere juvet ſaltem, lacrimiſque explere dolorem;
Quando aliud nil eſt quod tibi perſoluam:
Mutua nec ſatis eſt, vitamque rependere vitae;
O qui noſtra tuo funere damna levas.
Nos Patris aeterni noſtra irritavimus iras
Fraude, cruore tuo tu probra noſtra lavas.
Nos dulces vetita decerpſimus arbore foetus,
Diſtentus dira tu trabe furta luis.
O nimium noſtros nimium miſerate labores,
O noſtri nimium, nil memor ipſe tui.
Non genus humanum, non mundi machina tanti,
Non tanto merces digna labore fuit.
Scilicet aeterni proles aeterna parentis
Factus homo, fontes ne moriamur obis?
Quem Pater ipſe ſui, ſine origine, concipit inſtar,
Dum ſeſe aeterno cogitat uſque animo.
Me miſerum, quae te pietas, pulcherrime rerum,
Tam nova, qui quaeſo, tam novus egit amor?
Ah ſat erat te ſidereis de ſedibus actum
Taedia virginei longa tuliſſe uteri,

Aut hinc mortales eductum in luminis auras,
Cum pecore, agreſti delituiſſe caſa,
Inde vagum huc illuc noſtros adiiſſe labores,
Dum mundum ad leges & nova jura vocas:
Neve ignominias memorem, aut quae plurima inultus
Paſſus es indigno corpore ludibria.
Hei mihi non avibuſve feriſve cubilia deſunt,
Atrerum auctori deſit ubique locus.
Sola fuit tibi quae nodoſis roboribus crux
Heu nimium durum praebuit hoſpitium.
Haec fuerat ſervis poena olim, haec furibus aequa,
Quos tecum cerno mortem obiiſſe parem.
Quae tam dira manus? quae nam tam barbara porro
Gens, tantum obtuſis ſenſibus auſa nefas?
Quo ruitis miſeri? qui tantus mentibus error
Inſidet? in veſtrum tenditis exitium.
Me potius, meme qui feci hoc perdite ligno·
Hic nihil admiſit: fraus mea, furta mea.
Tene ita cum duris pendere latronibus, omnis
Vitae curſus cui ſine labe fuit?
Qui neque contactu intemeratae virginis alui
Contraxti antiquae ſigna luenda notae.
Sed Genitrix pura caeli concepit ab aura,
Nec potuit facies diſſimulare genus.
Ut ſileam benefacta, tot & miracula rerum,
Quae non humana perficiuntur ope,
Inſigni poteras forma, & juvenilibus annis
Immiſſae pectus reddere molle ferae.
Pulcher luce magis, vel ſidere matutino,
Oceanus liquidis quod modo lavit aquis.
Sed quem hic te aſpicio? haec facies tuane illa ſerena?
Hinc oculi? hic roſeo gratus in ore color?
Aureane haec menti lanugo? hoc verticis aurum
Pro-

Propexum? hic toto corpore priſcus honos?
Qua modo cunque ibas, blandi nova ſemina amoris
Jactabas, dulci in ore ſedebat amor.
Huncne ego conſpicio te formoſiſſime rerum?
Heu color, heu ſpecies quam tua facta alia!
Squalidula ut facis, ut laſſula lumina livent.
Languidula ut cervix, mortua ut ora jacent.
Non ea caeſaries, concretaque ſanguine barba,
Non eſt is plane qui modo vultus erat.
Serta tamen capiti, regiſque inſignia cerno,
Sed quae vulnificis ſentibus hirta rigent.
Et pictum video corpus juvenile rubore,
Sed quem hauſtus flagris ſparſit ubique cruor.
Ne palmas morer, aut terebratas cuſpide plantas,
Hei mihi, quam latum pectore vulnus hiat?
Quod tulit aes, quae nam haſta tuo intepuiſſe cruore?
Nec tum aes delicuit? nec fuit haſta cinis?
Cum Sol ipſe caput nitidum abditus obſcurarit,
Et vaſto Tellus ſit tremefacta ſinu?
Debueras Sol aeterna ferrugine caelum
Occulere, & terris uſque negare diem.
Debueras Tellus aeterno percita motu
Collabi, humano haud ultra adeunda pede.
At vos monſtriferi quid tunc o barbara ponti
Condita deſertis aequora littoribus?
Quae vos quae tenuere morae? quibus abdita clauſtris
Hic nulla effuſis ſigna dediſtis aquis?
Vos tum diluvio merſas abſumere terras
AEquum erat, atque hominum fluctu abolere genus.
Nam quid enim caelum, atque ultores aetheris ignes
Flebilibus precer hic in mea vota modis,
Cum Pater & caeli, rapidi moderator & ignis,
Qui poterat flammis omnia diluere,

Ipſe ſuum Gnatum pro nobis juſſerit ultro
  Supplicium infandae morte ſubire trabis?
Agnus eras ſacer ille, ſacram mactandus ad aram
  Pro nobis aeterno hoſtia ſacra Patri.
Fixum erat id caelo, nulla pote mole moveri:
  Nil Sol, nil Tellus, nil maria alta juvent.
Tu quoque te noſtrae es largitus ſponte ſaluti,
  Et tibi pro cunctis dulce obiiſſe fuit.
Atque ideo orabas moriens veniam hoſtibus ipſis,
  Ne foret hoc ulli munus inane tuum.
Hoc quoque nos fruimur, grato ſed amore dolemus,
  Et memores tumulo ſolvimus exequias.
Tu tamen exutus, quae morti obnoxia, vivo
  Sedibus aethereis corpore ſceptra tenes:
Venturus noſtras extremo tempore noxas
  Quaeſitum, cum res funditus igne ruent.
Aſpice nunc bonus, & dignos nos effice quos tunc
  Exemptos poenis in tua regna vehas.

DIVIS INFANTIBUS

BETH. INNOCENTIBUS.

BEATae animulae parvuli integelluli,
Quos hauſit immaniſſimi regis furor
Ab ubere abreptos, parentium ab ſinu,
Dum perdere ſimul autumat regno cavens
Incognitum ſibi aureum puellulum,
Quem nuntiabat ſiderum praeſentia
Regem univerſis nuper ortum gentibus,
Vos vere veluti gemmulae, quas primulo
Aduſſit albicans pruina primulas,
AEtatulae ipſo concidiſtis floſculo.

Pro

Pro illo ante vobis contigit pulchre mors
Qui pro omnium vita immolandus venerat,
Beatae animulae floſculi caeleſtium.

IN J. CHRISTI CRUCEM.

NAM quod te memorem, quo caeſum e vertice lignũ
Dulce optanti animo mihi robur, amabilis arbos?
Te bona crux nimbi tempeſtateſque coruſcae,
Infernaeque poteſtates fugiuntque tremuntque,
Inque tuos aciem nequeunt intendere ramos.
Infelix olim fueras, feraleque lignum,
Supplicii genus, informis trabs hoſpita lethi:
Nunc prope numen habes.ſancta & venerabilis arbor,
Caelo mixta comas caput inter ſidera condis,
Hoſpitis ingentis pulcherrima reddita tactu.
Te tulit ante humeris, quem tu mox ipſa tuliſti
Rex hominum ſuperumque Dei certiſſima proles
Depoſiti ingentis, capitis tibi credita cura
Tam cari: tanti tu pignoris unica cuſtos.
Fortunata, tibi divinos contigit artus
Tangere, tam ſanctique inſpergi rore cruoris.
Fortunata ſalus in te omnis noſtra pependit:
In te meta fuit noſtrorum extrema malorum.
Per te jam Pater omnipotens mortalibus aegris
Dat veniam, & veteres bonus obliviſcitur iras.
Pro nobis ſtetit, atque reis pro ſontibus ipſe
Filius oravit cauſſam, & nece diluit ultro
Crimina. tu ſedes oranti grata fuiſti,
Victima pro nobis magno ſeſe ille Parenti
Obtulit: oblato tu nobilis ara fuiſti.
Illum afflictum atro ſudantem ſanguine praeſens
Vidiſti, & vitam per cuncta exempla trahentem,
Tan-

Tandem animam longis ſingultibus expirantem.
Fortunata arbos, in te ille unicus ales
Depoſuit ſenium, moribundoſque exuit artus,
Ut novus exſurgens rurſus nitiduſque juventa
AEthereas pennis caeli remearet ad auras
Omni genum volucrum cantu & plaudentibus alis.
Fortunata arbos, in te faeta illa volucris
Molle ſibi roſtro pectus terebravit acuto,
Atque ſuo implumes ſaturavit ſanguine natos.
Quae pietas? qui tantus amor? nos crimine noſtro
Occidimus: moriens nos ille a morte reduxit,
Delevitque notas, quas non contraxerat ipſe.
Nos ideo nunquam e ſtratis conſurgimus orta
Luce, vel ingreſſa jam nocte ad ſtrata redimus,
Noſtra tuo quin nos armemus pectora ſigno,
Et tua luſtratae imprimimus veſtigia fronti.
Nil agimus, nil incipimus, nil pectore magnum
Molimur, non ante tuo munimine tecti.
Auſpiciis tu noſtra tuis incoepta ſecundas:
Tu noſtrum augurium, tu ſors, tu praepetis omen.
Quin etiam ad quoſvis motus, ad murmura quaeque,
Et ſtrepitus improviſos noctuque dieque
Ad tua confugimus tremefacti protinus arma,
Queis freti vanum revocamus corde timorem.
Proinde tibi magni curvato poplite reges
Oſcula dant proni, poſitiſque inſignibus ultro
Aſſurgunt, tectamque auro gemmiſque micantem
Suſpendunt inter baccata monilia collo,
Et duce te audentes in aperta pericula vadunt,
Praemittuntque tuum pugnanda in praelia ſignum.
Jãque Aquilis tua Romulidum mage nota figura eſt,
Hoc ſigno dux in campis pugnavit apertis
Inclytus infernas acies, obſcoenaque contra
Ca-

Caſtra, Erebique plagas victor penetravit ad imas,
Exemitque pios vinclis & carcere caeco,
Quos ſecum ſpoliis veheret ſuper aethera opimis.
Nobile tu ſignum, tu pompae inſigne praeibas
Semper & egregii teſtis praenuntia facti.
Templorum te culminibus, te turribus altis
Erigimus: tu ſumma tenes faſtigia. ubique
Turres, tecta tua ſunt omnia tuta ſub umbra.
Cumque omnes nos extremo ſub tempore vitae
Deſeruere, comes remanes tu ſola, nec unquam
Amplexu, dum ſpiramus, divellere noſtro.
Nec tantum vivos, ſed & aurae munere caſſos
Tutaris, poſitoſque cavis impreſſa ſepulcris.
Quid mirum ſummo ſi te veneramur honore?
Ipſi etiam pueri laeti, immixtaeque puellae
Serta tibi & flores nectunt, tibi carmina dicunt,
Te celebrant coetu, te feſta fronde coronant.
Jamque adeo late in terris tibi templa, tibi aras
Mortales ſtatuunt, tibi cerea dona cremantur.
Et pia thura, diemque tuo de nomine dicunt.
Ac prope divinos orbis largitur honores,
Haud quia ſit numen, quia ſit tibi ſenſus, at olli
Iſta ferunt cujus letho tibi gloria parta eſt.
Quin. ſuprema dies arſuro ubi venerit orbi,
Sideris in morem fulgebis, & aethere toto
Flagrantem inſolito luſtrabis lumine mundum.
Luce piis addes animos: at ſontibus ingens
Horror eris. cupient retro tranſacta referri
Luſtra, ſuis fruſtra orantes oblivia factis.
Tu lignum porro illud eras, medicabile lignum,
Tactu cujus aquam in dulcem fons verſus amarus
Tu lignũ, genius in quo hominum, genius omne animan tum

Ser-

Servatum quondam immenſis evaſit ab undis:
Tunc etiam malus, tunc ille altiſſimus olim
In quo ſublatus pendebat aheneus anguis?
In te oculos converſi omnes, converſa tenebant
Ora: ſalus id erat ſerpentũ morſibus ictis. (anguis
Quippe hominum inferus genus omne momorderat
Tu nobis tu complexo ſerpente mederis
Omnibus, & validos in priſtina ſoſpita reddis,
Tu nos infernis pene hauſtos eripis undis.
Tu dulces in aquas fontes convertis amaros:
Et lacrimas tandem noſtras in gaudia vertis.
Salve hominum indubitata ſalus, ſpes certa quietu
AEternae per te patet alti janua caeli.
Utque orbi quondam ingreſſa eſt mors arbore ab illa,
Per te hominum generi ſic tandem reddita vita eſt.
Effice mortales curis mortalibus omnes
Oblitis per te divina luce fruamur,
Amplexique tuos tollamur in ardua ramos.
Vitam autem quia non datur omnibus exhalare
Tali in ſede, ipſumque imitari funere regem.
Ut pueri infirmo nequeunt medicamina ferre
Corpore, & altrices ipſae acria pocula ſumunt,
Ad pueros virtus tamen hauſto in lacte redundat.
Sic fluat extincti divino e corpore regis
In nos transfuſus dolor, & praecordia tangat.
Saltem animo, ſaltem moeſto doleamus amore
Noctes atque dies, neque nos conturbet amaror:
Verum ea amarities nobis medeatur, &, aegra
Quae nunc noſtra jacent, recreentur corda, necifque
Illius emanet noſtra in praecordia virtus:
Sponte ſuo noſtras qui ſolvit ſanguine poenas.

MA-

MAGNAE MATRI VIRGINI.

AT quo diva tuas mortali carmine laudes
Ingrediar, quas caeleſtes caeleſtibus oris
Vix audent tentare chori? nec mole gravantur
Corporea, atque tuos coram mirantur honores.
Ipſe, mihi quoties animum tua vivida imago
Impulit, atque aciem te contra tollere tendo,
Obruor, & nimia perfundor luce, nec abſens
Ferre tui valeo radios, aut ſpicula vultus.
Nam tu Sole velut divinum corpus amicta
Incedis regina caput redimita coronis
Sidereis, tibi ſub pedibus micat aurea luna,
Igneaque aſtra premis ſubterlabentia mundi.
Mente olim Pater omnipotens te legerat alta
(Nondum mundus erat) multis de millibus unam,
Quae caeli regem pareres enixa ſub auras.
Atque ideo poſtquam divino foedere rupto
Primus in ipſa parens hominum ſe perdidit ipſe,
Seque ſuumque genus veniens corrupit in aevum,
Sola malo exorta es, veterique impervia noxae,
Seu tua te genitrix intactam, & prorſus avitae
Secretam maculae gravida concepit in alvo,
Seu ſimul atque utero concreta es, caelicolum rex
Communem exemit labem, puramque reliquit,
Ne tuus exoriens pura dilapſus ab aethra
Parte olim foetus foret inſyncerus ab ulla.
Nec priſcam traheret materno a ſanguine labem.
Teque dehinc creſcens procul omni innoxia culpa
Sanctam, incorruptam ſervaſti praeſide amico
Tuta Deo: ac veluti latis nitidiſſima campis
Virga oritur, primoſque novo dans vertice flores
In

In regum fortunatos traducitur hortos :
Continuo ſedes liquiſti parvula avitas ,
Templi adytis oblata , parentum debita votis ,
Sancta ubi priſcorum vatum monimenta revolvent
Senſiſti Superum regem tot vocibus olim
Promiſſum terris mortali matre oriturum .
Jam tum laetitia dulcique cupidine pectus
Capta ; Deum caſta verſabas mente propinquum ,
Et venerans matri foetae pia dona parabas ,
Si ſors o veſtris ea ſors contingeret oris ,
Si veſtro conceſſa forent ea munera ſaeclo .
Neſcia venturi nondum tua gaudia cernis :
Nondum nympha tuos perſentis pectore honores .
Jam jam , nulla mora , adveniet demiſſus ab aſtris
Nuntius : ille tuas quam laetis vocibus aures
Mulcebit ? quanto implebit praecordia amore
Pennipotens ? tu caelicolum acceptiſſima regi ,
Plena Deo , nuribus felix magis omnibus illa es .
Parce metu : humanum virgo obliviſcere morem :
Concipe divinos hauſtus , teque inſere caelo .
Non aliam porro manet hujus gloria partus .
Tu rerum auctorem tactus ignara virilis
Concipies , gravis aetherea divinitus aura ,
Solaque virgineum ſervabis foeta pudorem :
Vellus uti lanae impenetrabile reſtitit imbri ,
Caetera cum madeant gravibus circũ humida nimbis:
Tu porta clauſa aeternum , ſuperum ipſe per illam
Ingreditur rector , nec clauſtra immota reſignat .
Tu rubus ille oculis flamma crepitante cremari
Viſus , at illaeſae manſere in ſtipite frondes .
Hinc etiam pueris media in fornace pepercit
Ignis & innocuae lambebant corpora flammae .
Haec te monſtra petunt unã, haec miracula tangunt,
Pro-

Promiſſis nec ſera fides: ſimul ecce repente
Cum tonitru medium veluti diſcedere caelum
Vidiſti, ſimul auricoma circundata nube
Senſiſti praeſens in te deſcendere numen
Deſuper afflatam leviter ſpirantibus auris.
Quis tibi tunc ſenſus? qui virgo in pectore motus?
Credo equidem, tibi cor dulci flagrabat amore.
Et penitus totis ardebas ſuave medullis.
Tum quoque laetitia ac mira dulcedine pectus
Delicuiſſe reor, tibi cum montana petenti
Laeta occurrit anus cognato a ſanguine juncta,
Atque utero exultante tuos praeſenſit honores.
Felicemque uteri te terque quaterque vocavit:
Tu vero, teneri qualis roſa plena pudoris,
Ore rubens caelo referebas carmine grates,
Teque adeo indignam, & meritam nil tale canebas.
Parva ſed haec majora manent. date lilia plenis,
Virginei date thura chori, date ſerta caniſtris.
Naſcitur humana ſub imagine naſcitur infans.
Qui ſemper fuit, eſt, & erit, ſine fine, ſine ullis
Principiis Deus, immenſi quem moenia mundi
Non capiunt, viſuſque hominum tactuſqus refugit.
Saepe mihi videor te poplite cernere virgo
Subnixam, infantemque recens mirarier ortum
Flagrantem, & radiis late vibrantibus aureum,
Teque tuos prono venerantem pectore foetus,
Attonitumque ſenem tantis vix hiſcere monſtris.
Felices nimium paſtores o quibus olim
Contigit in ſtabulis inſuetos cernere partus!
Tantum o ſi quoque me ſi ſaecula veſtra tuliſſent,
Paviſſemque meas veſtris in ſaltibus agnas:
Me ſine monſtratum vos nunquam iſſetis ad antrum,
Carminibus moniti caeleſtibus, ipſe ego primus
Spe-

Speluncae foribus virides ſilveſtria myrtos
Munera ſuſpendiſſem, & florea ſerta tuliſſem,
Inſuper & canna ceciniſſem carmina agreſti,
Carmina, quae tibi nunc regina utcunque laboro.
Nec me felici quiſquam extruſiſſet ab antro
Amplius, uſque tibi famulari dulce fuiſſet,
Infantique ſenique tuo. tum me neque veſtro
Indignum viles ſtipulas ſubſternere aſello.
Hic ego vidiſſem reges puero ampla ferentes
Munera ab AEthiopum terris duce ſidere vectos
Ante tuos, carique pedes procumbere nati.
Vidiſſem volucres te mira in veſte miniſtros
Saepius affari, curaſque avertere dictis,
Solarique inopem vario in diſcrimine rerum,
Dum puero metuis, captique pericula caro
Longe arces animo ſemper ſuſpenſa labanti.
Uſque adeo ſenis in templo morientis inhaerent
Senſibus extremae voces, cum juſſa recenti
Pro partu geminas aris fers dona columbas,
Affore, cum tibi virgo animum dolor occupet ingens,
Et quaſi cor gelidum pertranſeat enſis adactus.
Nec veterum deerant reſponſa horrentia vatum,
Gnatum pro multis mactandum funere acerbo.
Jamque minis tum facta fides, jam nuntius ales
Nocte ſenem monet in ſomnis conſurgere, tecumque
Accelerare fugam, patriae neque fidere terrae,
Ne rex, dum ſceptris cavet haud ſecurus avitis,
Divinam ſobolem crudo necet efferus enſe.
Impie, mentis ubi es? quo te rerum impulit error?
Quid pueros jugulas cunis & ab ubere raptos?
Tene putas poſſe aeternis occurrere Olympi
Conſiliis? morti nondum eſt obnoxius infans,
Nondum juſſa Patris ſupremi munera obivit

In

In terris: nondum factis ſe ingentibus orbi
Supra hominem oſtendit per tot miracula rerum,
Quae non humanis opibus, non artibus edet,
Ante novas condet leges, nova foedera mundo:
Ante ſali ſicco pede caerula percurrenda:
Sedandi imperio fluctus canaeque procellae:
Ante graves linquent languentia corpora morbi
Illius ad nutum: rurſuſque ad munera vitae
Conſurgent, quorum tellus jam texerat oſſa:
Ille etiam prius exigua (mirabile) fruge
Millia multa hominum deſertis paſcet in oris
Ille etiam tacitas hominum intra pectora curas
Inſpiciet: ſilvae arebunt, terraeque dehiſcent,
Nec gravia ora ferent, verbis dum fulminat, hoſtes,
Omnia quae coram admirans laetabere virgo.
In primis tibi cor mira dulcedine tanget,
Cum puer in templis, adolent dum ſacra, relictus,
Quaeſituſque diu velut ecce repente oriens Sol
Lucidus, ore oculiſque nitentibus apparebit.
Illum de magnis mirabere rebus agentem,
Et veterum dictis referantem oracula vatum
Primores inter proceres, juvenumque magiſtros,
Quos omnis jam tum bis ſex vix meſſibus actis
Erudiet puer, atque rudes docto arguet ore
Aureus, immortale ſonans (mirabile dictu)
Senſibus illapſus penitus praecordia tanget
Et dulcem toto jaciet de corpore amorem,
Luce recens orta, vel ſidere pulchrior aureo.
Tunc illam circumfuſae longo ordine matres
Laudibus attollent, quae tales optima partus
Ediderit, teneriſque immulſerit ubera labris.
Illum amplexa ſinu, toto illi pectore inhaerent
Oſcula fragranti capiti, dabis oſcula fronti

Sidereae, ſtelliſque pares libabis ocellos,
Ore alterna flagrans dulci praecordia amore.
Nec minus inde etiam tacita laetabere mente,
Fontis aquam latices cum Bacchi vertet in atros
Te mandante. tuo promet liquentia vina
Munere, & inſolitos hoſpes mirabitur hauſtus.
Haec tibi mater erunt: oberit nihil ante tyranni
Veſani furor, ipſa tamen celeſtibus ultro
Conſiliis pare, quae fidus detulit ales.
Tolle moras: pete Niliacas interrita ſedes.
Cuncta favent: tibi nox nigrantes explicat alas,
Et te ſub luſtri gradientem amplectitur umbra.
Cernis ut intonſi praerupta cacumina montes
Demittant, plaudantque comis nemora alta coruſcis,
Et ſolitum praeter varios humus afflet odores?
Illa (credo) etiam noctu volucreſque feraeque
Adventante Deo, numen ſenſere propinquum,
Obviaque abrupto ſtupuerunt flumina curſu.
Donec laetanti vos Nilus condidit alveo,
Fama ubi jam totam, non laetae impleverat oram
Bethlen largifluo puerorum undaſſe cruore,
Dum tuus ante omnes nequicquam quaeritur infans.
Quid tibi tunc animi? toto haeſit pectore ſanguis,
Et tua ceu gelidus ſubiit praecordia mucro.
At non hic virgo veſtrorum haec maeta laborum
Haeſerat, ingentis neque erant ea debita luctus
Tempora: verum olim longe majora manebant.
O dolor horrendae quis morti crederet illum
Deberi, Pater eſt cui clari rector Olympi,
Cui mare, cui tellus, cui caelum paret & aether?
Verum ſponte neci caput obvius obtulit ipſe,
Primi hominum ut lueret ſcelus exitiale cruore
Ipſe ſuo, morienſque genus mortale piaret.

Id

Id placitum Patri aeternum, caeloque ſedebat.
Id quoque venturi virgo tu praeſcia noras,
Cuncta oblita velut tamen atque ignara malorum,
(Tantus amor matris) crudeli victa dolore es.
Fama tuas ſimulac ſaeviſſima perculit aures
Heu gnatum ſcelere exceptum, inſidiiſque ſuorum
Unigenam ſummos foedatum immaniter artus
Trudi ad ſupplicium, atq; trabem tam ſtare nefandã.
Exiliiſſe ferunt ſubito extra moenia, & omnes
Te plangore vias, queruloque impleſſe ululatu.
Qualis avis paſtu rediens, cui paſtor ab alta
Arbore ſuſpenſum nidum dejecit, & aufert
Implumes foetus etiam nunc ore querentes.
Illa volat circum, vix ſe raptoris ab ore
Temperat, & querulis late loca vocibus implet.
Tunc tua inhumanae miſeratae incommoda rupes,
Atque tuo aëreae ſilvae doluere dolore.
Aſt ubi pendentem ferali robore porro
Vidiſti approperans, mediaque in morte teneri
Jactantem huc illuc oculos, ſi forte ſuorum
Siquem forte alas inimicas cerneret inter,
Deficis, & feſſos aegre collaberis artus.
Quos gemitus? quas deinde trabẽ complexa querelas
Ore dabas? non haec olim tibi gaudia caelo,
Non promiſſa tibi haec divino pignore dona.
Sic nuribus te felicem magis omnibus unam?
Sic ventura tuos florere in ſaecula honores?
Felices illas fortunataſque vocabas,
Pignora cara, quibus flere ipſo in limine vitae
Contigit, & longo paullatim aſſueſcere luctu.
Parcite mortales iter illac forte tenentes,
Quos omnes in ſe ſe, atque in ſua funera mater
Victa animi armatos lacrimoſis vocibus excit,

Ipſa quoque ut ſimul in trunco moriatur eodem,
Parcite, & aërei nimboſa cacumina montes,
Nec cadite in matrem ſubita convulſa ruina,
Exorata licet, licet ultro ſaepe vocata.
Dum juvat immitem ſic ſaltem explere dolorem.
At non ſic etiam poſitus carae genitricis
Filius oblitus media te in morte ſupremum eſt
Affatus. quas o voces? quae verba vel ipſi
Pectore ab invalido rupit miſerabilis hoſti?
Tandem in te ah moriens morientia lumina liquit,
Et dulcem (ut potuit) vultu ſervavit amorem.
Hic tu muta ſiles, lacrimiſque abſumta profuſis
Non jam ullos gemitus, non jam ullos amplius edis
Singultus: tacito dolor intus pectore ſaevit.
Ipſa parens frugum pro te maeſtiſſima tellus
Planxit, & ingenti tremuit ſuccuſſa fragore,
Et ſilices erat hic nulla vi cernere apertos
Findere ſe, & moeſti, ut poterant dare ſigna doloris.
Palluit adſpectu caelum, atque illuſtre repente
Deſuper inſolitis umbris caput alta petens Sol
Occuluit, medioque die nox plurima oborta eſt,
Et populi aeternas mundo tenuere tenebras.
At non te longo virgo intabeſcere luctu
Paſſus, ubi primos lux tertia protulit ortus,
Jam nigras Erebi ſedes populatus, & umbris
Educens ſurſum manes animaſque piorum,
Evaſit tumulo ſaxumque reliquit inane,
Atque tibi primum divino apparuit ore:
Poſt aliis ſibi quos lectos ſubjunxerat olim
Conſortes tantorum operum, ſocioſque laborum,
Quas lacrimas tibi crediderim excuſſiſſe repentem
Laetitiam? quali tibi tum praecordia motu
Exſultaſſe? fides tua quae praeſenſerat uſque,

Nunc

Nunc oculis adaperta vides, nunc clara liquet res
Adſpice ut exutus moribundos Filius artus
Divinam induerit ſpeciem, inviolabile corpus
Inſolitis radiis, inſueta luce coruſcum.
Parva mora: hinc terris illum ſupera alta relictis
Vidiſti petere, atque cava ſe condere nube,
Ad caelumque aperire viam mortalibus aegris:
Nec tamen in terris deſertam inopemque reliquit.
Dum mortalis adhuc vitali veſceris aura.
Ipſe ſed omnipotens tibi plurimus inſidet, & te
Noctes atque dies praeſenti numine ſervat.
Praeſide quo, quaecunque premant, ſecura malorum;
Caeleſtum degis moribundo corpore vitam,
Nunc veterum relegens latebroſa oracula vatum,
Nunc animo caelum peragrans, totaque volutans
Mente Deum, frueris Nati omnipotentis amico
Numine, perpetuum tibi qui tuus afflat amorem.
Deſuper ambroſia hac, dulci hoc te nectare paſcit.
Jamque dies aderat laetiſſima, qua tibi terras
Linquere fas erat, & claro ſuccedere caelo
Vix placido moriens clauſiſti lumina letho;
Turbine curriperis rapido, veheriſque per auras,
Solis inardeſcens radiis: te lucida nubes
Purpurea longe fulgentem amplectitur aura.
Te circunvolitant dextra laevaque frequentes
Alituum coetus caeli ſtellantis alumni,
Subvectamque miniſterio te praepetis alae
In ſublime ferunt ſanctae de vertice Idumes:
Paſtores admirati videre ſub auras
Enantem, & claro ſignantem tramite caelum.
Talis ab Eois aurora attollitur undis,
Talis Luna recens roſeo caput exerit ortu,
Utraque ſed longe obtuſo tibi lumine cedit.

 Sed

Sed neque te primo jubare aequet maximus ipſe
Sol lucis fons exoriens comitantibus horis.
Sic caelum exſpectata ſubis, thiaſique chorique
Te circum, & liquidi reſonant per nubila cantus
Caſtrorum in morem, nitidis cum exercitus armis
Pulcher it, aere acies de monte adverſa refulget.
Antiqui proceres gentis decora alta vetuſtae
Occurrunt, vateſque pii ventura loquuti
Excipiunt laetam, & ſumma ad faſtigia ducunt,
Laetitiaque fremunt ſuperi. Mariam alta beati
Ingeminăt per templa chori, Mariăque frequentant,
Ingentique procul reboant ſupera ardua plauſu,
Et totum exercent intus nova gaudia caelum.
Filius hic etiam ſancti regnator Olympi,
Qui dextra aeterni Patris aſſidet aethera torquens,
Optatos dedit amplexus, tibique oſcula fixit
Pronus, & aeterno matrem devinxit amore.
At Pater inſignem ſolio ſublimis ab alto
AEterna capiti implicuit de fronde coronam,
Affixitque tuae geminantia ſidera fronti,
Et ſuper alituum ſuperûm templum omne locavit
Sublimem: rerum dominam, caelique potentem,
Unde humiles mundi labentis deſpicis orbes,
Lunamque Stellaſque videntemque omnia Solem,
Anguſtaeque procul telluris inertia rides
Pondera, & inſanis exercita pectora curis.
Salve ſancta parens, eadem ſalve innuba virgo,
Regia progenies genus alto a ſanguine Judae,
Cui Pater omnipotens pleno ſe numine, fudit,
Gratiaque acceptam matres ſuper extulit omnes.
Qua primum dias prodiſti in luminis auras,
Luce eadem noſtrae ſpes eſt exorta ſalutis.
Foemineos lapſus, ignominiamque pudendam
Ultra

Ultra tui generis, genus ipſum ad ſidera tollis.
Priſca hominum genitrix, & matrum maxima mater
Prima tulit generis triſtis contagia lethi:
Tu virgo longo poſt - tempore prima ſalutem
Felici peperiſti utero mortalibus aegris.
Illa dedit merſo lacrimas, tu gaudia mundo.
Illa homini invexit poenas, tu praemia per te:
Janua aperta piis caeli, quam clauſerat illa
Circunventa dolis maleſuadi & fraude colubri.
Ipſum tu valido victrix pede proteris anguem
Fruſtra inſultantemque, & ſibila colla moventem.
Munere quo ſuperas caeli regina per oras
Inveheris, caelique nurus te mille ſequuntur,
Mille chori celebrant, ſervatricemque frequentant.
Caelicolae adſurgunt omnes: tibi regia paret
AEtheris immenſi: quodcumque ubicumque creatũ,
Infra te longe jacet, & tua juſſa faceſſit.
Nos quoque divinos, ut cuique eſt copia, honores
Largimur: tibi centum arae, tibi maxima centum
Thure calent delubra: tuis pia munera templis
Adferimus, caſiaſque, & nardi halantis ariſtas.
Ipſae te matres adeunt peplumque ferentes
Textilibus donis augent, & templa coronant
Primitiis florum ac ſuſpenſis frondibus umbrant.
Ut primum fari incipiunt, te nomine juſſi
Compellant, primaque ſonant te voce minores.
Omnis ubique tuis indulget laudibus aetas.
Omnis ubique domus: totae de turribus urbes
Te veniente die, te decedente ſalutant,
Plurimaque auratis reſonat tibi tibia templis.
Tu laudes bona mortales, tu munera votis
Humanae non ſpernis, opis nihil indiga noſtrae.
Vota hominumq; preceſque audis ubicumq; vocata,

Rite tamen, noſtroſque levas miſerata labores.
Tu bellum morboſque graves, peſtemque famemque
Avertis, caelique minas, tot ſoſpita mortes,
Tot clades, tot das miſeris evadere caſus:
Utque mari magno jactatos turbine nautas
Servat ſtella, polo ſi tandem affulſerit alto:
Sic tua lux quaecunq; inſtent, quaecunq; premantve,
Nos regit, inque omni tutos diſcrimine reddit.
Nunc, o ſtella maris noſtri nos aſpice praeſens:
Eripe tot pelagi pene hauſtos fluctibus atris,
Nunc lucem, luciſque tuae jubar exere, & orbi
Exorere, ac radiis nigrantem diſcute nubem.
Ne quaeſo, ne nos inopes hic deſere, ſiquid
Dulce tibi fuit in terris & amabile quicquam,
Per te per carum oramus, tua pignora, Natum,
Perque ſinus illos, quibus haerens vagiit infans.
Brachia quae implicuit collo, innexuſque pependit,
Dulce onus interdũ, perque ubera quae tener hauſit,
Per pueri dulces riſus, perque oſcula blanda,
Per teneros luſus, per quicquid denique in iſto
Dulce fuit tibi curarum, gratumque levamen,
Ipſum illum Patris ad ſolium complexa precando
Da genitrix facilem: & ſi forte piacula noſtra
Averſum terris faciunt, tu ſedula nobis
Concilia, ut juſtas Patris in nos leniat iras.
Et quaecunque ſuis merito miſcetve paratve,
Diluat ille ſui praeſenti rore cruoris.
Mille procul cerno nobis inſtare pericla,
Mille neces rebus prope verſis, mille ruinas.
In nos Turca ferox toto ruit agmine & armis,
Cuncta movens nos extremis conatibus urget,
Jamque ſibi ingentes orbis promittit habenas.
Interea noſtri, quos huic ſe opponere monſtro

AEquum

AEquum erat, inter ſe reges fera bella moventes
Confligunt, totoque (nefas) concurritur orbe.
Tu tantum terrorem animis labentibus aufer.
Tu nobis tu diva, pios miſerata, quietem
Redde, petens placida miteſcant ſaecula pace.

BEATO MICHAELI.

QUEM te eſſe dicam praepetum pulcherrime,
Quo te profectum ex agmine,
Caeli volatu qui pererras atria
Armis coruſcus aureis?
Tune ille caelitum inclytus princeps ducum,
Dux alitum ales mentium,
Quas ipſe in orbis maximus primordio
Creavit omnium ſator,
Aulaeque praepoſuit beatos incolas
Felicioris aetheris?
Ut te ferocem intueor enſe, ut aenea
Hoſti imminentem cuſpide.
Simul juventae flore, & impubi gena,
Et ore dulci amabilem.
Ut arma pectus maſculum fulgentia,
Plumae ut leves humeros decent?
Salve volucris alme ductor agminis,
Cui creditae caeli fores,
Tu contudiſti inſanientis Phoſphori
Bellator inſolentiam.
Contaminata cum manu ille corruit
Inhoſpitale ſub chaos.
Ubi ſilentes territat remugiens
Umbras tremendo murmure:
Satis ſuperque debitas poenas luit

Ineſ-

Inefficax ſuperbia
Ultore te: referre militaria
Te ſigna fuſis hoſtibus,
Videre ovantem ſidera admirantia:
Uterque te vidit polus.
Et ipſe ſummus civium in medio Pater
Laudavit alitum choro,
Poſt quem tibi omnis aula caeli militat
Secreta coetus in novem:
Regi ipſe ſemper aſſides propinquior,
Reconditorum particeps,
Quae deinde ſubſequentibus tu detegis,
Mox alter aperit alteri,
Ad infimum deſcenderit donec gradum
Semper minor ſcientia.
Nec alter alteri invidet praeſtantiam,
Sed ſorte quiſque amplus ſua eſt.
O plurimum beata gens caeleſtium,
Felix genus volatile.
Vos Solis uſque illius intuemini
Os, quo beantur omnia,
Metus nec ullus vellicat ne forte ſit
Perennis haec felicitas.
Quae fixa clavo firmius adamantino
Haeret, moveri neſcia.
Vos aetheris regis miniſtri ſidera
Torquetis, & caelivagos
Orbes rotatis, unde tempus, & diei
Et noctis immotae vices.
Vos temperatis aëris flatus truces
Imbres, pruinas, & nives,
Et fulminum ſaevas coercetis faces,
Ne mundum ingens conflagret.

Vo-

Vobis profundum in aequor eſt imperium, aquas
Volubiles regentibus:
Globumque terrae ſuſtinetis pendulae,
Et quicquid in terra viget.
Vos alites Hero ab ſupremo crebrius
Ad nos venitis nuntii,
Deique noſtra afflatis almi pectora
Inuſitato numine,
Animiſque noſtris inſidetis additi,
Duceſque adeſtis in via,
Nos donec exemptos humo nil invidi in
Veſtros adoptetis choros.
Adeſte nobis: nanque, quos vos praelio
Fregiſtis hoſtes, nos premunt,
In noſque victi virus omne colligunt,
Et tuto inermes provocant.
Adeſte: diris peſtibus reſiſtite.
Non inſueti laureis.
Tuque o ſupremo ductor agminis die
Princeps ades certantibus,
Cum falſa veris addita exprobrant probra.
Abſolve nos calumniae:
Vitaſque corpus exuentes ſuſcipe,
Haſta procacem arcens manum.

DIVO JOANNI BAPTISTAE.

QUAESO quid id negotii? quamobrem boni
Semper premuntur improbis obnoxii?
Quo nullus ortus major? unquam gentium
Dei loquentis vera teſtimonio,
Perit perit vates ter ille maximus
Inſanientis mulieris libidine,

Quod

Quod abdicari is tenderet regem illico
Oportuiſſe inauſpicatis nuptiis,
Fratrique reddi clamitaret conjugem,
Ipſa ferente inceſta animo id aegerrimo,
Vatique peſtem interminante peſſimam.
Tantumne mulieri uſpiam licentiae?
Indignus ille qui ſatus ſit maſculus,
Cui ſerio imperat mulier, & arduis
In rebus advocata ſemper conſulit,
Cum procreandos conjuges ob liberos
Tantum viris ſint additae imperantibus,
Nec foeminae ingenio ſuopte peſſimae,
Sed ſint equorum ſicut optimum genus,
Eumque quem vult ſeſſor incedant gradum.
Fraeno viri ſi uti ſciant, quiſque in ſuas,
Poſſit carere mundus hac moleſtia.
Nec tot fuiſſent gentibus tragoediae.
Mandavit illa ſaltitanti filiae
Inceſta, regem poſceret ſibi aurei
Tradi amputatum vatis in diſco caput.
Mero ille, ludo, amore captus annuit
Juratus. in patina ſacrum adfertur caput
Squalore fuſcum, tabo, & atro ſanguine,
Horrentibus quotquot aderant convivio.
Convivium inceſtum, efferum ſpectaculum.
Inſane, caece, brute rex, tun' optimi
Viri muliebri offers caput libidini?
Tune inclytum, ſanctum, Deoque proximum
A Solis almo expellis almi lumine,
Quem tu colebas, expetebas peſſima
Tua exprobrantem probra confidentius?
Lugete valles, antra, ſolitudines,
Et quicquid eſt ubique montium avii

La-

Lamenta flebileſque voces rumpite,
Tam deſtituta amabili ſolatio.
Non audietis amplius vocis ſonum
Felicis aevi nuntiae. veniſſe jam,
Quem neſciebat nocte mundus obrutus,
Deum patri futurum, ut agnum victimam
Mortalibus qui tolleret piacula,
Caelique clauſas panderet nobis fores.
O peſſime factum! adeone innocentia
Ceſſit ſubacta? vicit impotens furor?
Nec Sol repente lucidum abdidit caput?
Nec terra ruptis diſſiluit vinculis?
Nec ignibus coruſcus orbis arbiter
Mortalia in cineres redegit omnia?
At at quievit ira (credo) caelitum.
Caeli quod omnis curia id provideraт,
Vates ut eſſet ille, non modo voce qui
Deum indicaret editum mortalibus,
Vita ſed ipſum moribuſque redderet,
Et morte dira praevius praecurreret:
Quod tu ſciebas ipſemet praeſagio,
Pectus futuri plene Joannes ſacrum,
Lubenſque morti te obtuliſti fortiter.
O morte felix non minus natalibus,
Quibus tibi queat nemo compararier.
Tu regis index caelitum praenuntius:
Tu matre ſterili, at ſatus divinitus
In matris alvo labe communi omnium
Ante expiatus quam fores luci editus,
Nec noxiae ulli mox fuiſti obnoxius.
Ne te inquinarent civium commercia,
Silvis latebas victitans in abditis,
Silveſtre mel ſtillans vetuſta ab ilice,

Nu-

Nuceſque, & unguibus revulſa gramina
Regale erat ſemper tibi convivium.
Praebebat ultro viva flumen pocula,
Pelles ferarum delicatam purpuram.
Hic nationes perluebas flumine,
Suadens probrorum voce poenitentiam,
Monſtranſque ad altas aetheris viam domos.
Felix ter o, & amplius, qui venerat
Maculas lavare & omnium piacula,
Dei regentis cuncta ubique Filium
Tu proluiſti vulgus inter caeterum.
Sanctum lavacrum, balneum admirabile
Nec te fefellit artubus mortalibus:
Sed nare ceu canis procul odora feram
Numen ſagaci deprehenſti pectore.
Repente gurgite aureo reſplenduit,
Igni fluentum ceu flagrantibus vadis
Tuis ſimul vox inſonuit ampla auribus,
Ruptis ut olim caelum ubi tonat nubibus,
Quem proluebas, quis foret denuntians.
Salve orientis alme Solis lucifer,
Jubar propinquum gentibus praenuntians:
Ades, & adhuc quicquid potes, nos erudi,
Et rectam ad aſtra errantibus viam indica,
Noſtriſque abolitis nos piaculis lava.

DIVO PETRO AP. DE EJUS CATHEDRA.

PAPAE. Poteſtate uſpiam mortalium
Diis proxima adeo quemquam in altum ſubvehi,
Ut ſumus unus caeteris mortalibus
Praeſcribat, illi nemo prorſus omnium:
Muſſent ſed omnes ſponteque uni pareant,

Pie-

Pietate ſola adducti in animis inſita.
Suapte vi parentiumque ritibus?
Porro ille mortales adhuc apud manens
Quaecunque de hominum conſtituerit noxiis.
Sunt rata apud ipſos caelites arbitria,
Animaeque corporum expeditae nexibus
Sive illigarit idem eas, ſeu ſolverit,
Haerent ligatae & inferis fornacibus
Cremantur igne, vel ſolutae devolant
Feliciores caelitum invectae domos.
Recto modo arbitrio nec errore id fuat.
Dei haec poteſtas maximi, Dei optimi eſt
Communicata Filio unigenae optimo,
Et maximo, de virginis utero edito,
Mortalibus cum ſe artubus mundo obtulit
Spectabilem, doloribuſque obnoxium,
Mortique acerbae pro ſalute publica:.
Ille inde tibi mortalibus prae omnibus
Eam reliquit aetheris repetens domos.
Hereditario velut jure caperes,
Tibique conceſſit ſuas prorſus vices,
Petre ſive Cephas, ceu Simon dici eligis.
Quid hoc negoti? quo tuo iſtuc facinore
Meritum eſſe dicam, quave gratia rear?
Tu piſculento natus in gurguſtio.
Parentibus ſane ſatus pauperrimis,
Nulla inclytus niſi arte piſcatoria,
Nihil patraſti glorioſi facinoris:
Nonnulla potius, ſi merita perpendimus,
Malefacta te plane arguunt, & peſſima
Quidem, ferenda neque gregario in homine.
Tune ille qui tutus proculque periculo
Magnifica verba proloquutus ampliter

Spo-

Spoponderas te mille ſubiturum neces,
Si opus fuiſſet, pro duce meritiſſimo?
At mox ubi uſus venit, in diſcrimine
Deſerere eum haud puditum eſt; ab hoſtium globo
Obſeſſum, inermem, dum metu perterritus
Fuga ſaluti conſulis turpiſſima;
Faedeque diſſimulans tibi uſquam cognitum
Eum ter abjuraſti amicus optimus.
Convincimus ſe habere ita haec, nec quiſpiam
Poteſt negare poenitentia hanc tamen
Moerens luiſti noxiam celerrima.
Factum putamus provide divinitus,
Deo volente, ſcilicet quo ſontibus
Expertus hinc ignoſſe diſceres reis,
Statim futurus arbiter mortalium.
Quod deinde factum eſt: nanque tibi concreditas
Tot civium vitas fovens humanitus,
Nullo uſus imperio acerbitateve.
Benignitate temperabas unica.
Demum quod olim perperam peccaveras,
Morte expiaſti glorioſa, occubans
Pulchre pro eodem quem antea fefelleras:
Atque is fuiſti tam ardua in provincia,
Nunquam ut pigitum eum ſit tibi hanc qui credidit.
Tibique ſuccedere adeo innumerabiles
Alium, deinde alium inſtituit in ſaecula,
Eadem ut poteſtate pariter praecellerent,
Sella ſedentes in tua, eodemque ſolio,
Conſultum ut hominum generi ita deinceps foret,
Omnes ut unum agnoſcerent ultro caput.
Periculoſum forte ſiquis dixerit,
Tandem haec poteſtas ne in potentiam exeat,
Merumque regnum hominis ſoluti legibus

La-

Latiſſime patenti adeo licentia:
Tua, Petre, cautio haec, tuum eſt ſuccurrere
Gregi tuo olim, ne unquam id ei mali accidat.
Es ubi caveri id detur, es apud quem omnia
Orare poſſis, facileque iſtuc aſſequi.
Quare, quod hominum legibus fieri eſt nefas.
Saltem impetrato, ita ipſe qui ſolus poteſt,
Tantae poteſtati modum ſtatuat Deus,
Nobis ut uſque praeſit optimus pater,
Pietate ſanctus re magis quam nomine,
Caſtis initiis qui ad honores repſerit,
Non imperandi cupidus, aut ſitiens opum:
Qui non oves deſerat, ubi lupum aſpexerit,
Eviſcerandas, dum timet rebus ſuis,
Ut cavit olim paſtor omnium optimus:
Nihil ſibi arroget, niſi id jure optimo:
Sed ipſe ſibi ſit ſponte lex & terminus,
Quem praeterire peſte pejus cenſeat.
Et, quam rogarit ipſe, legi obtemperet,
Mente aetheri ſemper quam humo propinquior:
Privata penitus miſſa faciat omnia,
Domus ſuae oblitus ſuumque liberum.
Primum procuret publica, aequus proximos
Sibi remotoſque eodem habeat omnes loco,
Dum Chriſtiano cenſeantur nomine.
Sitiat & omnium ſalutem aeque ac ſuam.
Ac paſtor ut ſibi traditas oves domum
Reducere omnes ſatagit, una ne abſuat:
Sic creditas animas ſibi mortalium
Deo optimo reſignet ultimo is die,
Pro ſingulis paratus, haud ſibi degener,
Mortem, ſi opus ſit, oppetere pulcherrimam.

Talem uſque nobis, ſi merebimus patrem
Dabit, nec unquam negliget ſuos Deus.

DIVO PAULLO APOSTOLO.

HOC Paulle Chriſti ad optimi divinitus
Converſe partes Vida tibi ſanum addicat,
Haud paſſus obſoleta in aede tuum amplius
Solariolli nomen implorarier,
Places ut iram ſaepe laeſi numinis.
Id quicquid eſt tu muneris lubens cape,
Tuo & datorem ſub patrocinio tege,
Tuoſque ab alto ſpiritus ei ſuffice:
Fidei ut ſuae docere queat accreditos,
Bonumque cum illis noſſe verum & aſſequi:
O doctor orbis, inſtitutor gentium!

DIVO STEPHANO PROTOMARTYRI.

DIIS alii laudes aliis & carmina dicant,
Te te ego Sancte puer, qui poſt fera funera regis
Caelicolum inſignem meruiſti morte coronam
Primus, & effuſo tinxiſti ſaxa cruore,
Dum juvenem immerita teſtaris caede peremtum.
Te Stephane ipſe canam: tu, dum mihi vita manebit,
Muneribus, ſemperque meo celebrabere honore.
Non tua nequicquam Leo mi delubra tuenda
Crediderit pater, atque tuae praefecerit arae.
Huc ades o, ſeu felicis te regia caeli
Nunc habet, & ſuperum regis juvat ora tueri:
Seu juvat interdum mortalia viſere templa,
Et patrias Solymorum arces luſtrare, ubi quondam
Te perhibent ſeſe indigenae vidiſſe per altas

Jor-

Jordanis ripas prima ſub luce ſedentem,
Dum liquido ſolus ſacrum lavis amne cruorem:
Huc ades indignae linquens loca conſcia caedis.
Hic tibi digna domus, melior (ne deſpice) ſedes.
Hanc patrio antiqui Ligures in littore molem
Ingentem poſuere, tibique haec templa ſacrarunt.
Hic tibi thure calent aeterniſque ignibus arae:
Hic patrio de more canunt tua maxima facta.
Alternique tuas jactant ad ſidera laudes.
Ipſe audis, tacituſque lates, nec cerneris ulli,
Et tibi tranquillam demulcent gaudia mentem.
Huc olim quicunque tuam miſer imploratum
Venit opem ſupplex, voti reus uſque receſſit,
Donaque ſervati tibi ſolvunt debita nautae.
Salve ſancte puer, caeli decus, haud tibi quiſquam
Caelicolas inter divos certarit honore.
Tu proceres longe ante omnes, qui ſanguine fuſo
Ante diem verae pro relligionis amore
Projecere animas meriti poſt funera caelum,
Incedis Tyrio chlamidem ſpectabilis oſtro,
Purpureamque aciem ducis per lucida Olympi
Atria: ductorem te cuncti ſponte ſequuntur.
Et tibi praecipuum non invidet alter honorem.
Nam quis non magno te afflatum numine quondam
Protinus obſtupuit mira atque inſueta loquentem,
Dum patrum intrepidus ſemper mandata faceſſis,
Quos olim comiteſque viae, ſocioſque laborum
Biſſenos numero ipſe omni delegerat heros?
Illi etiam tua ſaepe adeo tua maxima facta
Mirati ſtupuere, ſacro dum numine plenus
Illa audeſque poteſque puer, quae ſcilicet aeque
Paucis poſſe datum eſt caelo divinitus ante:
Non ullus potuit tua contra tendere dicta,

Dum canis invictumque ducem ſine crimine morti
Demiſſum, regemque ipſum teſtaris Olympi.
Fortunate puer, tibi ſeſe regia caeli
Omnis, caelicolumque domus patefacta recluſit.
Mortali tibi fas Superum vidiſſe parentem
Immenſum, ingentem, qualis diis cernitur unis,
Et quantus rutilans flammis, radiiſque coruſcus.
Ecce autem invidiae ſtimulis exercita iniquis
Effera te inſurgit ſubito Solyma omnis in unum.
Saxa fremitque rapitque ſimul commota juventus,
Praecipitemque agitant, atque extra moenia pellunt
Inſontem, & meritis non praemia digna ferentem.
Hinc atque inde ſonat circum cava ſaxeus imber
Tempora, & inſcribunt ſacrā fera marmora frontem.
Ipſae te rupes, ipſa & te flumina moeſta
Labentem videre, animaeque extrema trahentem.
Tunc & te Libani flerunt palmeta propinqui,
Eque ſacro aëreae lacrimarunt vertice cedri.
Tu tamen attollens paſſas ad ſidera palmas,
Immotoſque oculos, media ipſa in morte rogabas
Caelicolum regem, crudeli parceret hoſti:
Cum ferus interea non ille abſiſteret ictu,
Sed magis atque magis ſtimulis agitatus iniquis
Saeviret, donec lapidum ſub grandine dira
Efflaſti felicem animam, caelumque petiſti:
Unde hominum curas rides miſeratus inanes,
Supplicibuſque faves, tua qui prece nomina poſcunt.
Me nunc, qui novus ingredior tua templa ſacerdos,
Et tibi ſacra fero puero puer, aſpice praeſens:
Da fraudis ſcelerumque exortem ducere vitam,
Da contemnere opes, & vulgi gaudia, honores,
Et caſto uſque tuis operari pectore ſacris.

DIVO LAURENTIO MARTYRI.

HUC ades clarum jubar inter omnes
Caelites, partam nece qui coronam
Induunt, pictaſque ſuo colorant
Sanguine palmas.
Huc ades dum te canimus frequenti
AEde, Laurenti, tua dum quotannis
Dicimus laeti redeunte certa
Luce tropaea.
Seu Tagus te nunc, patriaeque fines
Detinent dulces; ſacra ſeu Quiritum
Quae tuos olim miſerata vidit
Terra labores.
Nos quoque alternos adeas vocatus
Rite ſolenni prece, ne vocantem
Temne non quiſvis minus addicatam hanc
Urbibus oram.
Poſt Deum quae te venerans ſecundum
Spes ſuas in te locat advocato,
Et tuo haec regi Superum dicavit
Nomine templa.
Tu potes noſtris mala molientem
Multa peccatis prece flectere ipſum
Maximum caeli, Superumque regem
Numine laeſo,
Aſperas pro quo puer horruiſti
Nec minas regis nimis efferati,
Prodigus vitae, nec acerba ſpretis
Funera flammis.
Tu levas omni, fera juſſa contra.
Pauperum coetus ope deſtitutos,

Queis ſacrum templi bonus erogaſti
Divitis aurum.
Tu roſas inter velut in viretis,
Uſtus in prunis mediis triumphas:
Deſpicis flammas meliore toſtus
Intus ab igni.
Nunc pii fructu frueris laboris,
Caelitum gaudens vagus in roſetis.
Hic tuis ſpirant Zephyri perennem
Ignibus auram.
Civium hinc dexter varios tuorum
Aſpicis caſus, & in omne tutos
Protegis tempus, tibi nil negante
Numine fretus.
Hujus in primis tibi cura tractus
Adſit, & noſtros tueare fines.
Sint fames peſtiſque procul, quieſcant
Aſpera bella.
Sint nurus caſtae: valeat juventus
Optimas artes ſtudio aemulata,
Et ſenum coetus potiora callens
Conſulat urbi.
Utque nihil obſit, face quos libido
Suggerit menti excutiamus ignes,
Et tuas noſtris animis ſalubres
Iniice flammas.
Ut Deo regi Superum canamus
Gratias, a quo bona cuncta, qui ter
Optimus ter maximus omne ubique
Regnat in aevum.

CAE-

CAELITIB. VIRGINIB.

CAELI deliciae beatioris
Quid vos in Superum domo puellae
Tam multis rear actitare ſeclis?
Vos mi dicite, vôſne ſempiterna
Juvant otia, & uſque feriatis
Cordi eſt perpetua frui quiete.
Dum veſtros animos alit voluptas
Illa illa illius effluens ab ore,
Aſpectu omnia qui beat vel uno?
An vos o potius juvat choreis
Indulgere, chorosque ductitare
Ad caeli numerum uſque concinentis?
Vos o vos videos videre molli
Stellatis pede luſitare in hortis
Molles, lacteolas, venuſtulaſque.
Quam vos quam juvat inſequi uſque amantem
Formoſum placitae arbitrum choreae!
Quam vos carmina dicere uſque amanti
Ductori placitae juvat choreae,
Qui quocunque oculos & ora vertit,
Hauſtis omnia amant repente flammis!
Quam vos quam juvat undique expetitas
Huic neſciſſe virum, huic necem ſubiſſe,
Pro nobis quoque qui integer peremtus!
Hunc ut ſenſibus intimis amatis,
Toto aut pectore deperitis unum,
Et veſtro eſt in amore nil amarum,
Haec mihi dicite virgines. Sed unum eſt
Quod nunc vos aliud velim rogatas.
Id mi dicite puriter roganti,

Haec inter quid agunt mei ambo ocelli,
Margarita roſa prior recenti,
Et forma Pelage haud minus venuſta,
Quas nos plus oculis amamus ipſis
De nobis meritas bene, atque amantes?
Ecquae illis aliae venuſtiores
In veſtra choreae vacant corona?
Ut o ut mihi nunc videntur ambae
Poſt caeli dominam, Dei parentem
Praelucere, aliaſque praeterire
Subſultim celeris duces choreae.
En blando ut pede, blanduloque motu,
Caſto ut corpore caſtuliſque ocellis.
Haec ut purpureo rubens in oſtro,
Illa ut candidulo albicans liguſtro
Laetae virgineis utraeque palmis.
Salvete o ſimul aetheris puellae
Omnes aureolae, integellae & omnes,
Non interdum opibus juvate veſtris:
Qui mortalibus ignibus calemus,
Veſtrae nos facis uſtulate flamma.

HER-

HERCUL. STROZAE TITI FILII CARMINA.

IN SALUTATIONEM GLORIOSAE VIRGINIS DEI MATRIS.

AVE ſalutis janua
Aperta ſemper ſupplici,
Spes, & ſalus mortalium,
Quos crimen Evae perdidit.
Tu ſacra Jeſſae virgula,
Odore complens aethera,
Quam fabricator omnium,
Creavit ante ſecula.
Tu ſponſa Regis maximi
Omni referta gratia,
Cui fortis adfert angelus
Verbum creantis ſpiritus.
Myſterium mirabile,
Paterna vox divinitus,
Intacta replens viſcera,
Mortale corpus induit.
O virgo prima virginum,
Qua noſter auctor naſcitur,
Per nuntiata gaudia
Abſterge noſtra crimina.

IN NATIVITATEM SALVATORIS.

MATER haud ullo temerata tactu
Orta collapſum renovare ſeclum
Ad tuum rident mare, terra, & ipſa
Sidera partum.
Omnium factor, dominuſque rerum,
Membra qui verbo moribunda ſumſit,
In tuo vagit gremio, tuoque
Ubere gaudet.
Te citi viſunt ovium magiſtri.
Te dei agnoſcunt duo bruta matrem,
Angeli pſallunt ſuper obſoleti
Tecta mapalis.
Illa lux felix redeuntis aevi,
Qua dei natum paris alma virgo,
Illa ſit nobis in honore, ſitque
Maxima ſemper.
Pax ſub occaſu fuit, & ſub ortu,
Cum tua pacis dator exit alvo,
Pax ſit humano generi perennis
Te duce virgo.

IN EPIPHANIAM.

DEI parentem virginem
Quibus ſat ornem laudibus?
Haec ventre mater integro
In carne verbum concipit.
Hanc angeli paſtoribus,
Hanc ſtella monſtrat regibus,
Dum lactat in praeſepio

Quem

Quem labis expers protulit.
Huic, filioque ſupplices
Eoo ab uſque littore
Jubar ſecuti praevium,
Dant dona Reges myſtica.
Qui in regna voti compotes,
Novo reverſi tramite,
Teſtati ubique gentium,
Vidiſſe partum Virginis.
Sic nos coruſco lumine,
Nitamur illam viſere,
Diverſo ut oret limite
Nos ad ſuperna regredi.

IN PRAESENTATIONEM.

ORA ab aeterno Genitore nobis
Barbiton, qua te referam, tuumque
Filium Virgo, ſine labe clauſum
Integra in alvo.
Totus e caelo veniens, & illic
Totus aſſiſtens, & ubique totus,
Legit humanos ſubiturus artus,
Te ſibi matrem.
Hunc tui clauſtris uteri latentem
Editur non dum veneratur infans,
Hujus adventum canit omnis aetas,
Sexus & omnis.
Ille pro toto datur orbe vas, hunc
Noſcit ignotum Simeon, ad aram
Cum prius ſiſtis. tibi magna tangunt
Gaudia mentem.
O decus noſtrae, ſuperaeque gentis,

Cujus

Cujus intactum Deus uber hauſit,
Da precor nobis hilares piorum
Viſere coetus.

IN RESURRECTIONEM.

EUM precemur ſupplices,
Qui tempus expers temporis,
Qui fecit unus ſidera,
Qui fecit unus omnia.
Qui matre natus virgine,
Tot dura ſponte pertulit,
Suumque fudit ſanguinem,
Noſtrae ſalutis praemium.
Hic morte mortem perdidit.
Et morte vitam praebuit,
A ſubjugatis inferis
Die reſurgens tertia.
O quale matris gaudium,
Cum viſus illi filius,
Veraſque voces reddidit
Deſideratus tres dies.
Per illa Virgo gaudia,
Tuum precare filium,
Ut nos ſepultos ſordibus,
Pius redemptor ſuſcitet.

IN ASCENSIONEM.

PRO nobis conditor orbis
Mortales induit artus
Conſors hominiſque Deique,
Et letum pertulit ultro.

Poſt

Poſt victa morte triumphans,
  Et vi propria per inane
  Cum carne reverſus olympo,
  Patri haeſit in omnibus aequus.
Hunc, nunc, diſcipulique parenſque,
  Nebula adſpexere volantem,
  Hocque aſſeruere probati
  Teſtes in veſtibus albis.
Tum vox audita per auras,
  Portas attollite Regi,
  Hic, & pater una poteſtas,
  Tibi gloria Chriſte perennis.
Gaude o gaude integra mater.
  Et quem nobis peperiſti
  Exora glorificatum,
  Cum patre, & flamine ſancto.

IN PENTECOSTEN.

ME prima Chriſtus veritas illuminet,
  Qui juſſit aequor fluctuoſum dividi,
  Et eſſe Moſi, Millibuſque pervium,
  Mox regredi, hoſtes inſequentes obruens.
Hic Moſi in igne viſus, & vivus Petro,
  Hic ignes afflata linguis pectora
  Sancto replevit ſpiritu, quo protinus
  Effecta fandi guara linguis omnibus.
Hinc multilingues diſſerunt Apoſtoli
  A finibus primis Soli per ultimos,
  Chriſti potentis arbitri miracula,
  Et tot repente nationes abluunt.
Quid hos putaſti pertinax Gens ebrios,
  Quos videras recentis igne ſpiritus

Tot

Tot aegra paſſim ſoſpitare corpora?
Fatere tandem mentis inſanae nefas.
Fruſtra fateberis die noviſſimo,
Fruſtra invocabis nomen almae Virginis,
Quae Chriſtiana proteget tunc agmina,
Ut nunc benigna nos tuetur ſupplices,
Orans Patremque, & Filiũ cum Spiritu,
Qui ſempiterna volvit unus ſecula.

IN GLORIOSAM VIRGINEM.

VIRGO, quae conſortem hominis, Deique
Arbitrum rerum, genitumque ab uno
Concipis foecunda, pariſque ſola
Integra mater.
Te ſibi elegit Deus ante Secla,
Te vocant gentes dominam Angelorum,
Verbum ubi eſt factum Caro, tantaque alvo
Clauſa poteſtas.
Tu ſcelus primi patris expiaſti,
Exſules qui nos patria, reoſque
Fecerat ſemper. tibi ceſſit uni
Janua leti.
Jure te dicunt igitur potentem
Gratiae, & lapſi generis ſalutem,
Et maris ſtellam, micat unde fulgor
Luce perenni.
Salve io mundi Specimen, ſaluſque
Omnium, qui te prece rite adorant,
Salve io victrix ſcelerum, tuamque
Reſpice gentem.
Daque ſepteni penetrare fines
Gaudii, & trinum patris, atque nati,

Spi-

Spirituſque, individuumque, & unum
Cernere numen.

AD SANDALUM.

O Fons Sandalii gurgitis arbiter,
Tito vate dies ibis in ultimos,
Nec te caſtalis unda
Vatum vincet honoribus.
Iste, ſeu numeros ludit agreſtium,
Sive eſt Anthia, ſeu Phylloroe magis
Carmen, ſeu fide grandi
Eſtenſem memorat Ducem.
Aeternum facit, atque Eridano patri
Praefert, & cithara callidus, & lyra,
Cuivis ponere laudes,
Quas livor malus approbet.
Cedat blanduſiae cantor amabilis,
Quamvis pindaricae ſuave melos chelys
In noſtrum citet orbem
Magna non ſine adorea.
Non chii, neque libamina maſſici,
Aut preſſa e patriis pocula vitibus
Depaſtamve capellam,
Quartiſania gramina
Offert, ſed veteri carmina populo
Figit, ſub Rhodope qualia thracius
Silvis verba ſequentibus,
Vates dixit in Hebrum,

AD GLORIOSAM VIRGINEM.

VIRGO ſalutiferi genitrix intacta tonantis,
Unicaque undoſi Stella benigna maris,
Quam rerum pater, ut lapſo ſuccurreret orbi,
Non dum diſpoſitis juſſerat eſſe polis,
Jeſſeaeque ſacro nacti de ſanguine gentis,
Et matrem ſtatuit virginitate frui.
Tu potis es primae ſcelus expurgare parentis,
Humanumque Deo conciliare genus.
Lacte tuo, qui te, qui cuncta elementa crearat,
Paviſti vilis culmine tecta caſae.
Hunc coeli Regina tuis pro gentibus ora,
Quoſque tuus juvit filius, ipſa juva.

IN ADVERSIS SUPPLICANDUM SUPERIS.

HUC ades o Rerum ſator, huc ades innuba virgo
Summũ enixa deum. veſtro ſine numine quicquã
Nec mihi fas voluiſſe, neque eſt tentare poteſtas.
Utque velim, poſſimque vetat pudor, ipſaque mentis
Relligio, aetherias cuique recludere ſedes,
Ni prius exorem veniam, pacemque precando.
Nunc queritur mortale genus, quod ab aethere nimbi
Praecipitent, ſegeteſque ruant, nunc vomere tellus
Pectita quod ſterilem exuſtis det meſſibus annum.
Nunc conflata odiis quod ſurgant bella, notique
Vota ferant, triſteſque inceſſant corpora morbi.
Aſperat & queſtus, & iniquo corde malorum
Authorem putat eſſe deum, rerumque parenti
Saeva

Saeva profanata dicit convitia lingua.
Atqui ferre preces potius, caſtoque litare
Corde decet. neq; enim omnipotens mortalia temnit.
Haec via ſidereos facili fert limite ad axeis,
Arcta quidem refugo, ſed larga, & plana volenti.
Huc tamen adveniunt pauci, quos Entheus ardor
Evehit, atque Deo tenor indefeſſus amicat.
Non iter anguſtum, ſed noſtra inſania nobis
Officit, & Stygias ſontes detrudit ad undas.
Uſque adeo ne hic mente potens, qui tramite recto
Digreditur, vaſtae ut penetret diſpendia ſilvae?
Ni praeſtare putet, dubias avertere praedas,
Ut dulcem abrumpant mavortia claſſica ſomnum,
Plurimaque intentent mortem, bellum ne peroſo
Alea ſit potior pontique & mercis eoae?
Semper uti metuat, ſaevaeque obnoxius irae
Ventorum, pelagique truci ſe credere Nereo
Audeat? ac ritu volucrum longinqua pererret
Littora, & ignotae ſubeat convitia gentis?
Tu ne, catenatus vetito ut de limine pellat
Janitor, ingrati ſequeris veſtigia Regis?
Per fas, perque nefas, quo te premat undique livor,
Purpureos inhias faſces? nec diſpicis unde
Invidiam citra patria potiaris ovanti?
Collige, quicquid ineſt divinae mentis, & iſtam
Diſcute, quae circum caligat lumina nubem.
Jãque animi compos, quod juſq;, piumq; repoſcunt,
Tandem pacem ores palmas diſtractus in ambas.
Exorator eris: ſiſtunt vaga fulmina, ſiſtunt
Ture dato, & caelum votis pater omne ſerenat.

A DEO SEMPER INCIPIENDUM, ET IN EUNDEM DESINENDUM.

AT quicunque Deum ſupplex affatur, ab illo
Incipiat, verſoque in eundem fine, quieſcat.
Multa quidẽ huic ſtudio ſubeunt meditanda, jacentẽ
Tollere quae poſſint hinc ad caeleſtia mentem.
Contemplator uti ex nihilo Deus omnia quondam
Protulerit, quae vis, ſapientia quanta, quis ardor
Artificis, quantum emineant, quantumque niteſcant
Omnia, ne vero tantum admirere creata
Uſque creatorem, ut non mente, animoque ſequaris.
Ergo ſub obtutum veniunt quaecunque legantur
Lumine, nequid iners proprio & ſine munere degat.
Namque oculis multa occurrunt, quae pabula cunctis
Senſibus indulgent. Terrae decor, aetheris ardor,
Undarum liquor, & vaſti per inane meatus,
Tum caeli decus, atque ingentis lumina mundi
Sidera, dein oculorum & mentis acumine caeli
Ambitus inſinuet ſe ſe, vertigine cujus
Vallantur quae corpus habent. tum cardinis ille
Impetus, aſſiduo qui ſumma volumine torquet,
Mox extremi orbes, totumque ſub axe coruſco
Perpendatur opus, motuſque, ortuſque, obituſque
Aſtrorum, variaeque vices, annique recurſus,
Terrenis quantum faveant caeleſtia, quali
Audiat obſequio caeleſtibus infima moles.
Ut lunae quaecunque globo ſubjecta ferantur
Ordine naſcendi, ſenioque abſumta fatiſcant,
Praeſcriptoque nihil naturae ab limite cedat.
Hinc quoque uti liqueat quali furor incitet oeſtro,

Pe-

Pectora, quae perhibent homini famularier aſtra,
Nec mundum ratione regi, ſed ab impete verti
Fortunae, varioque angi mortalia caſu.
Nunc tamen haud locus haec obſtruſaq; ſemina rerũ
Scrutari actaea toties diſcuſſa ſub umbra.
Ipſa ſed a doctis jam veſtigata ſagaci
Ingenio, & jam ſcita, animo quaerantur acuto.
Indoctis quantum indulget ſua cuique Minerva,
Queis opere in tanto non deſudare licebit.
Quippe rudes crebro divina potentia mirum
Edocet, ut porro edoceant arcana profeſſos,
Qui gnari tamen, atque inſignes munere tanto
Longius anteirent, ſummi cum gratia patris
Excolat ingenium, non deſtruat, aut male vertat,
Aſt hominum genus ancipitem ſpeculantibus offert
Materiam, hinc animus divinae conſcius aurae,
Inde omni ratione carens, conſorſque ferarum
Senſus adeſt, qui ſaepe alto nos fraudat olympo.
Id quoque ſuccurrit volvendum ſaepius, ut cum
Nos rerum in medio ceu mundi vincla locarit
Maximus ille opifex, quanta ratione cavendum eſt
Ne genius ſtet noſter iners, quantoque labore
Nos opus eniti, e ſuperis quando ultima nobis
Eſt ſtatio, tum quo pugnanda ſit ordine pugna,
Cum ſupra, infraque inter ſe contraria bellent
Quo ve modo eſt cuivis curandũ, ut ſe intus ad unguẽ
Noſcat, & ignarae frangat conamina mentis
Quandoquidẽ quod de extremis tenet, imminet ingẽs
Diſcrimen, ne dum alterius ſe credit amori,
Vergat in alterius partem, & ratione relicta
Senſibus obſtrictus miſer obruteſcat, ut unde
Venerit, ignoret, & quo properare neceſſe eſt.
Atque homnie inferiora animo meditanda miniſtrãt,

Ut quae ſe innumeris virtutibus inclyta tollunt
Uſque adeo ſervent vires, quas intulit author,
Cum mens caſta alios, alios vis acrior, illos
Aut animus ſapiens, aut pulchra modeſtia tollat.
Quae cuncta ut proprium mortalibus inderet ignem
Et Deus, & genitor magna pius extudit arte.
His animadverſis mens ſe ſe accinget ad illa
Quae minime fiunt, ſed ſunt, velut ipſa Platonis
Verba canunt, jamque a ſenſu nihil expetet, ipſas
Naturas rerum expendens, ſpecieſque deinde
Angelicos pervecta gradus, adſcendet olympum
Nec mortale tuens, ſed jam divinitus atra
Nube procul pulſa radianti lumine cernet,
Effectuſque pii laeta inſpectabit amoris.
Tum circumſpiciens ſupera, infera cuncta videbit
Collaudare Deum, atque illi bona cuncta referre,
Praecipue ſi quaeque oculis obnoxia noſtris
Ingenio, fideique acie luſtraverit acri
Nam veluti Spherae coeli & rerum generantum
Sic chorus ille ſacer, maneſque a morte redempti
Sunt quaſi materiae immunis, non viſilis orbis.
Quae ſi cuncta ſimul animo comprenſa tonanti
Aequipares, nil prorſus erunt, per ſe integer ille
Pars idem, tutuſque idem, pars ſemper ubique,
Semper totus ubique carens ortuque obituque.
Horum nil teres eſt, proprio nil robore conſtat,
In nihilum jam cuncta ruant, ſi maximus ille
Arbiter arcani fluxum neget ire vigoris.
Hinc ſpectare licet, vireſque animumque, piamq;
Artificis mentem, quaeque inferiore ſub orbe
Vis viget, in ſupero ſapientia fulget, & ardet
Lux in ſupremo bonitaſque in quolibet horum
Cuncta tamen meditari, & in omnibus omnia fas eſt.

BOR.

BORGETTI CANIS.

QUIS cohibere jubet lacrimas in funere fidi,
Dilectique canis? quis honore efferre ſupremo
Extinctum vetat, & pario componere ſaxo?
Et ferale queri? Mortalia pectora quando
Et pietas, & amor rerum, jacturaque tangant?
Nec volucrum ditare rogos, nec humare pudori
Quadrupedes, nec equi circundare moenia buſto,
Et memoranda novae bruti dare nomina genti. (po
Quid poſitū ante aedē Veneris loquar? aut quod olym-
Saxorum eductas moles? & equina ſepulchra
Commemorem celebri certantia Mauſoleo?
Qualeque caeſareo manarit carmen ab ore
Exanimum ſuper alipedem? quem maximus orbis
Arbiter ingenti Auguſtus tumulavit honore.
Threiciis, parthiſque nihil truculentius uſque,
Bellatoris equi funus tamen effera multo
Gens effert planctu, & lacrimis comitatur obortis,
Nec magis ereptos nati luxere parentes,
Queſtibus aut matres flerunt gravioribus orbae.
Sed quid diverſi generis monimenta laborem
Connumerare? ſuos de more moloſſa vetuſto
Condit terra canes, cineres nec laedit opertos.
Lucida quin meruit canis Erigonejus aſtra,
Atque polos inter geminos nunc luce coruſca
Promicat, & terras fati gravis ultor herilis
Urit, & inſontis rapida face ſaevit agreſtes
Jam genus hoc titulos habet, & ſua faſtibus acta,
Et ſtudia inter ſe partitur, & omnia vitae
Munera, non ne alius ceu janitor excubat ipſis
In foribus? ſui eſque procul latratibus arcet?

Hic ſe ſe ad numeros movet, & mandata capeſſit.
Nare ſagax alius Campiſque, undiſque volucres
Quaerit, & ad nutus huc indefeſſus, & illuc
Diſcurrit, neque frigoribus, neque vincitur aeſtu.
Luſtra bonus ſcrutari alius, bonus ille fugacis
Siſtere iter Damae, & celerem praevertere cervum.
Veloces illis lepores, his gloria magnos
Frangere apros, ſaevos his debellaſſe leones,
Et molem ingentem eoi proſtraſſe Elephanti.
Lanigeras alii pecudes, hirtoſque tuentur
Nocte, dieque greges, alii in deſerta ſequuntur
Armenta, incurſuſque hominum, rabiemque ferarũ
Voce abigunt, aut dente premunt, certiſque periclis
Objectant ultro caput, & fera praelia tentant.
Quin alii exciti ſaevo clangore tubarum
Caſtra adeunt, vigileſque locant, & martia ſigna,
Diſponuntque acies in cornua, & ordine facto
Arma movent, primaſque cient ad claſſica pugnas.
Turpia nec videas quenquam dare terga, ſed hoſtem
Aut ſuperant, aut crebra animã per vulnera fundunt.
Has olĩ, haud dubiũ eſt, Regẽ Garamanta Cohortes
Exilio expulſum ſolio impoſuiſſe paterno,
Bella inter, Martiſque vices, & funera mille.
Tale tibi auxilium Colophon, tibi tale paraſti
Caſpia Gens, partoſque aeque partiris honores,
Et proavos inter villoſa cadavera condis.
Non & heros ſoliti defendere? & obvia fato
Pectora ferre truces animi? non ire rogales
In flammas auſi, & cineri ſeſe addere herili?
Non Domini ad buſtum immoti manſere? nec ullos
Accepere cibos? nec aquas hauſere, ſuperque
Dilectum haerentes ſenſim occubuere cadaver?
Oebalis herculeo non debet purpura tantum

In-

Ingenio, quantum canibus, nec tincta rubenti
Murice fulgentes nunc lana laceſſeret ignes,
Ni canis aequorea concham infregiſſet arena.
Quis longum per iter melior ſub nocte ſilenti
Digredi? & ire domos ſua per veſtigia notas?
Quis ve adeo memor infixos ſub pectore vultus
Servat? & in longos non obliviſcitur annos?
Bis duo luſtra jerant, ex quo Laertius heros
Ilion invadens Ithacenſia liquerat arva,
Cum per mille maris, per mille pericula terrae
Conceſſere viro ad patriam pia fata relabi.
Palladis ille dolo graciles tenuatus in artus
Mutatuſque comam, atque oculos, rugaque ſenili
Confectus, laceriſque indutus veſtibus, ibat
Non tibi Laerte, tibi non Eumae, neque ipſi
Telemaco, neque Penelope, at tantũ agnitus Argo,
Argo, jam laſſis claudenti lumina fatis,
Quem ſilvis Ithacus paſcebat, in alta priuſquam
Pergama fatalem Scyro eduxiſſet Achillem.
Quid tacitos linquam? quos veri haud inſcia Crete
Nec ſemper mendax, ait aurea templa tuentes,
Parcereque haud ulli ſolitos (mirabile dictu)
Docta Thyanei ſtratos Senioris ad ora
Non magico cantu, ſed quod divinitus ollis
Inſita vis animo virtutis gnara latentis.
His auxere fidem, quos noſtro fulva ſub aevo
Miratur, nutritque Rhodos, cuſtodibus illis
Arva, & Carpathii defendit littora ponti.
It noctes animoſa Phalanx, innexa trilici
Pectora thoracum tunica, ſacrumque profano
Seligit, & blande exceptum deducit ad urbem,
Illum autem rapit, & morſu diſcerpit acerbo.
Nec fruſtra intactae qui venit ab urbe Sinopes

Litus ad actaeum, & doctas inſtruxit Athenas,
Sprevit & aemathii qui ſceptra potentia Regis
A cane non aliunde ſibi cognomina ſumſit.
Perque canem ſolitus morum jurare Magiſter.
Aſſeruitque Deus Pharii gens acola Nili,
Cumque ſuo canibus fert pinguia thura Serapi.
Marmoreas ſtant fulva canum ſimulacra per aras,
Aurea templa illis ſtatuunt, atque aurea vota.
Et vetet Antoni quiſquam te frigida cari
Corpora Borgetti ſaxo tumulare decenti?
Spargereque extremo liventia lumina fletu?
Infandumque nefas gravibus damnare querelis?
Ferreus ah quiſquis vulnus crudele tuendo
Temperat a lacrimis, ſed qui tam immaniter enſe
Uſus, ab hircanis genituſque, & Tigribus altus,
Ille ſui frangat jam colla incana parentis
Et ventrem ſecet, unde ipſas primum hauſerit auras.
Quippe per horrendas tigres, per ſaeva luporum
Agmina, per nomadumque feras illaeſus abiſſet,
Et portentiferi naſſet vada noxia Nili.
Heu candore nives, illumque anteibat olorem
Formoſae meruit quo Juppiter oſcula Laedae.
Saepe thoro Aoniae medium accepere ſorores
Inſigni allectae forma, tum candida ſuetae
Membra ederae foliis, Bacaque ornare virenti,
Pectereque, & ſacris gaudentem abſtergere lymphis.
Ipſa quoque has inter decima, & noſtri decus aevi
Saepius Auguſtis dignata eſt Borgia menſis,
Admovitque manum, niveoque ſola colore
Praeſtabat, quantum ille nivi, digitoque protervum
Irritavit, & Ambroſio velamine fovit.
Candenteſque ſuis perfudit odoribus artus,
Et laetata, vocans, patriae cognomine gentis.

Adriaci

Adriaci Borges urbem dum forte profundi
Viſit, adhuc tenerum, & foeta ſub Matre jacentem
Ducentemque ſuam melitea ab origine gentem
Accepit, donoque dedit tibi gloria ſacri
Thebaldaee Chori, tu gratus nomine dicis
Borgettum, & magni donum amplexaris amici.
Hinc tibi primus amor, mox, aſſuetudine longa
Crevit, & ut virides ſenſim depaſcitur ornos
Flamma recens, mox alta citis petit ignibus aſtra,
Sic in te crevere faces, & robur amoris,
Quem tamen aetherias porro evexere ſub auras
Forma decens, faciles luſus, & gratia morum,
In primiſque fides, cui non praelata priorum
Fama, licet rapidos non ille adſcenderit ignes,
Aut conjuratos Domini procul egerit hoſtes.
Per maris auſonii tractus, alpinaque ſaxa
Longum emenſus iter, ſummo dum Phoebus ab axe
Urit agros, urit medii vada frigida ponti.
Dumque nives gelida boreas jaculatur ab arcto,
Et concreta ſuos jam ſiſtunt flumina curſus,
Ibat hero comes uſque comeſque arctoa ſubiſſet
Teſqua, & fluctiſono coeuntia ſaxa profundo,
Et ſiculi horrificos latratus aequoris, & quae
Invia fert ratibus metuenda pericula Syrtis.
Et quantum exigui ſineret vis corporis, acer
Iſſet in aeratas nullo terrore cohortes. (ſilvae
Novi animum, Hercyniaeque canens ſtabula horrida
Inde illum dixi, Cervoſque Sueſque cientem.
Quin ſi te primum (quod Di avertere) tuliſſent
Fata, vel ad tumulum crudeli tabe pereſus,
Vel ſubterfoſſa tecum occubuiſſet arena,
Saepe joco memini me ſumma laceſſere veſtis
Texta tuae, emicuit ſubito bellator, & acri

Impete, & ore minax me proturbavit hiulco.
Nunquam ſegnis eras illo comitante, novumque
Ingenium, mentemque novam ſumebat ab illo
Vis animi Aonia jam delaſſata labore.
Hic tibi magnus erat Paean, erat Enthea Clio,
Seu thuſcos numeros, ſive Orſa latina referres.
Nil niſi laetum animo, nil non laetum ore ſonabas.
Hunc tibi (magna nimis permiſſa licentia fato)
Deſolata Chelys, deſolataeque Camoenae,
Moeſtaque ferales praetendunt atria taxos.
At ſatis indultum lacrimis, cohibenda genarum
Flumina, & undantes populari pectoris aeſtus.
Borgetton reſonare doce, ſilvaſque lacuſque,
Borgetton ſonet unda, ſonent Borgetton & alpes.
Impius ille dedit poenas, ſummaſque daturus
Nigra ubi taenareae pulſaverit Oſtia faucis,
Protinus umbrarum cuſtos, regnique ſilentis
Surget, & anguiferae ſinuoſa volumina caudae
Collaque concutiet vibrantibus hirta colubris,
Inſontemque vorax pandet tria Cerberus ora,
Atque animam infandam terno ultor condet hiatu,
Mox vomet, adſumetq; iterum, revometq; cruentū,
Triſtiaque aeternum inſultans ſuper oſſa recumbet.
Hic vel ad Elyſios manes, campoſque receſſit,
Et noti Eridani lucentibus innatat undis
Lesbius ingreſſo, paſſerque, & janthidis ales
Advolat, & pulchrae volucris defleta Corinnae,
Peligni nunc ipſe legit veſtigia vatis,
Dulcia nunc culti ſe figit ad ora Petrarchae.
Ereptoſque ſibi lacheſin tibi flagitat annos.
Vel ſi forte canes ſub inania tendere regna,
Ad Stygias ſimulac deſcendit Cerberus undas,
Divetuere, tuos habitat non viſilis hortos
Fran-

Franciſce, auſonii ſpes, & nova gloria Martis,
Quo duce tot Spolia auratis tua Mantua templis
Imponit, reliquaſque exultans provocat urbes,
Diſque triumphati praefert inſignia Galli.
Nocte inter myrtos, inter Laureta vagatur,
Et modo juniperi, citri modo captat odorem,
Hunc violas ſuper, & ferrugineos Hiacynthos,
Hunc ſuper intactae conſidit germina Calthae,
Floribus & variis ſpiranti veſcitur aura,
Mox ſurgente die vicina clauditur Urna,
Quam, ne olim auderent dextrae temerare profanae,
Parietibus fixam egregio dignaris honore.
Compoſitique refert Dominum nomenque fidemq;
Sive Oenea tamen, ſeu tu colis infera Tempe,
Uſque novum Burgette tua ver fragret ab urna,
Et pretioſa fluant liquenti ſuccina buſto.
Teque Poetarum celebret pia turba quotannis,
Et merito in longum tua nomina protrahat aevum,
Candida & ipſe legens tibi lilia, & alba liguſtra
Inter Apollineos recinam velut anſer olores.

AD LUCRETIAM BORGIAM.

PUBLICA Cura vale, jam nona revertitur aeſtas
 Ex quo animi huc illuc vis agitata mei.
Sintque licet rebus male commoda membra gerendis,
 Implerunt partes non minus illa ſuas.
Mente potens obeunda tulit pede debile corpus,
 Nec tenuere meas Solve geluve vias.
At ſi pro patria quicquam memorabile geſſi,
 Vix erit hic unquam cauſa pigenda labor.
Sin per inexpertos illi male ceſſerit annos,
 Non potuiſſe piget, ſed voluiſse juvat.

Eſt

Eſt aliquid canae munus tentaſſe ſenectae,
Veſtiret teneras cui nova barba genas.
Et mihi ſunt teſtes non inſcia numina veri,
Fortunae nullas me timuiſse vices,
Nec nimium faſtu caput erexiſse potenti,
Et ſceleris puras exhibuiſse manus.
Quem Padus effracto non terreat aggere? quem non
Sollicitent multo martia caſtra metu?
Quum male ſuada fames populi ſuprema minantis
Non moveat? timida praecipitetque fuga?
Eſto, haec mille ferant, vix inter millia Divos
Qui ferat iratos unus, & alter erit.
Praeſide me, ſaevo letalis Apollinis arcu
Urbs bis adacta ſuum non bene flere genus.
Seu rata fata Deum, ſeu ſic tibi maxime viſum
Aequa adeo ultrices cui movet ira manus.
Dira bis extinxi contagia, nec meus unquam
Defecit, populo deficiente, vigor.
Maxima labentes juvit ſolertia cives.
Juvit & infectas evacuare domos,
Supplicibuſque Jovem votis, patrioſque precari,
Queis fuimus toties debita cura, lares.
Nempe mihi Phoebi non frons erat ulla litandi,
Transfuga cum Clarii dicerer eſſe gregis.
Conſciaque admiſſi, non mens fuit auſa, manuſque
Dulcia neglectae fila movere lyrae.
Jure Pater poteras me temnere, & ora rebelli
Merſa tuo quondam fonte, ferire chely.
Tu, mihi prima rudis cum verba reſolveret aetas,
Dictaſti ad cunas carmina balba meas.
Teque Duce, errantem per ſumma biverticis umbrae
Abluit, abluerat quae prius unda Patrem.
Tum mihi polliciti longae praeconia famae,

Tu-

Tuque caputque tui Calliopaea chori.
Forſan & haec levibus non iſſent irrita ventis,
Fregiſſem propria, ni mea fata manu.
Jam procul a ripa me clavum, & vela regente,
Per magnas ierat concita puppis aquas.
Cum mihi neſcio quae faſtu comitata ſuperbo,
Mendoſi effigies obvia facta boni.
Quo puer inquit abis? ventoſaque nomina quaeris?
Profecturum ex me, non aliunde, decus.
Audieram, ſed abire tamen magis uſque parabam,
Sola lyrae nobis gloria calcar erat.
Cum, quid abis? mihi rurſus ait, patris ecce ſenecta
Immenſo Patriae pondere preſſa labat.
Nomen utrunque animum coepto meliore removit,
Nam quis opem Patriae ferre, Patrique neget?
Protinus annoſus Pater in ſua jura reponit,
Biſſeniſque jubet me caput eſſe viris.
Nec minus interea me cura domeſtica torquet,
Et ſibi vult geminus membra, animumque labor.
Jam neque Parnaſſus, jam nec ſacra laurea cordi,
Pieridum toto pectore fugit amor.
Purpureos inhio faſces, & honora parentum
Stemmata non alia vivere laude reor.
Nunc Ducis a vultu, nunc a popularibus auris
Gaudia non longa, ſtantque caduntque mora.
Alterius feror ad nutus, nolimque, velimque
Quique rego populum, ſponteque vique regor.
Neſcio, quo ſint juncta, modo, tamen hoc quoq; ſiquis
Appetat, inveniet juncta, fidemque dabit.
Quis facile in ſummo froenum ſibi ponit honore?
Affectuſque etiam temperat igne malos?
Sic nos ambitio, ſic nos ſitis urget habendi,
Sic gravis inſani pectoris error agit.

Haec

Haec ſunt anguiferae cruciantis Erinnyes orci,
Tantaliuſque liquor, Siſyphiuſque lapis,
Haec ne aliud, quam vultur edax? fibraeque renatae?
Cumque Ixionia dolia caſſa rota?
Cerberus, harpyaeque, & Gorgones, hydraque va nis
Infantum moneant pectora imaginibus.
Noſtra ſed, aetatis, Superaeque potentia mentis,
Nil Stygis horrendae lurida monſtra tremunt.
Se potius metuant, internaque tartara vitent,
Dignus hic aeterna laude triumphus erit.
Jam, velut Joniis remearim ſoſpes ab undis,
Ipſe meae impoſui myrtea ſerta rati.
Inque Padi ripis, velut alti in littore ponti,
Laetificum Nautae carmen ovantis ago.
Teque meum veneror Caeleſtis Borgia Sidus,
Qua nullum heſperio purius orbe micat.
Tu mihi carmen eris, tu lucida callis ad aſtra,
Qua niveas animas lacteus orbis habet,
Adſertae Superis, Juno, Pallaſque Venuſque
Juno opibus Pallas moribus, ore Venus.
Regna tibi meliora, animique nitentior ardor,
Pluſque tua igniferi forma vigoris habet.
Quis neget his caelum meritis? tua numina quondam
Nilus, & extrema Baetis honore colent.
Templa tibi ſtatuent, nec votis templa carebunt,
At noſtrum inter tot grandia majus erit.

AD ANTONIUM THEBALDEUM.

SAEPE ego te memini nos Thebaldee monentem,
Aequora devotis tranſilienda viris,
Cum male certa fides tranquillis conſtet in undis,
Totque natent fractae per vada ſalſa rates.

Sed

Sed quoniam ſurda monitus accepimus aure,
Pene tibi exemplum noſtra carina dedit.
Forte Cymacleo ſolvebam carbaſa portu,
Laetaque pacatis cymba volabat aquis.
Ecce repentinos attollunt coerula fluctus,
Incubat & toto nox inopina Mari.
Nunc ratis in Caelum, nunc ima in Tartara fertur,
Nunc ſuper intentant tela triſulca necem.
Nauta fereniferos jubet implorare laconas,
Et vovet aequoreis exta, molamque Deis.
Pallemus, ceu prona ſuper ſtet colla ſecuris,
Corpora jam ponto noſtra putamus agi.
Hos inter, ſpes magna metu corda anxia firmat,
Nam geminus ſumma fulgor ab arce micat.
Inſiditque rati, ſternitque ſalutifer undas,
Linteaque in vaſto gurgite caeca regit.
Adſpicio, agnoſcoque Deos, & tu inclyte Pollux,
Seu mavis dici nomine Caſtor ades.
Et tu Caſtor ades, qui te vis cunque videri
Veſtraque ſint dubiae proſpera ſigna viae.
Dixit, & in laevam detorquet Navita clavum,
Quiſque pias ſupplex tendit ad aſtra manus.
Arctus ab occaſu fines extendit in ortum
Lucus, diverſis inſula factus aquis.
Eridanus bifido geminum latus abluit amne,
Adriaci reliquum terminat unda maris.
Fluminis ad ripas duplicem facit inſula portum,
Servat ubi feſſas unda quieta rates.
Pauper flumineo conſedit in aggere Lynceus,
Silvae, & piſciferae depopulator aquae.
Pellimur huc, magnaque Deos ter voce vocamus,
Ad vocem Lynceus lumen, opemque tulit.
Quiſquis es hoc auſus puppi dare lintea vento,

Tecta

Tecta meae ſubeas quantulacunque caſae.
Nec res exiguas, nec parva mapalia temne,
Sic ait, & placido ſuſcipit hoſpitio.
Eſt facili in tumulo furca caſa niſa bicorni,
Cui latera, & culmen, canna paluſtris obit.
Res omnes locus unus habet, lectumque focumque
Et Cererem, & Bacchum, fagineoſque lares,
Et falces, & lina, domum quibus educat omnem,
Telaque de caeſis ſanguinolenta feris.
Quinque viro ſuperant functa de conjuge nati,
Hic avibus tendit, piſcibus ille plagas.
Certatim inſtaurant ignes, piceaſque virentes
Ingerit ardenti ſedula turba foco.
Ille ſed interea menſam componit agreſtem,
Et varias nulla praeparat arte dapes.
Fert piſces, fert mella ſuis nondum eruta cellis,
Molliaque ilignis vina repoſta cadis.
Has epulas vincunt hilares ſuper omnia vultus,
Verbaque fatidici pectore digna Numae.
Qui genus, unde domo, quo ſit via poſcit, & ultro
Nos docet irati plurima ſigna Maris.
Quid volucres, quid Sol, quod menſtrua luna minetur,
Praeferat aequoreae quid grave murmur aquae.
Utque olim veteri ſit nomen Menſula luco,
Menſula ſetigeris vix adeundus apris,
Haec ita dum ſenior, canibus nemora alta tremiſcunt,
Et reſonant curvis cornua littoribus.
Ne timeatis ait, movet hos Dictynna tumultus,
Abſtinet a noſtris ſed tamen illa locis.
Jamque ſoporiferae pars altera noctis abibat,
Grataque ſerpebat membra per aegra quies.
Accipiunt alii dulces in ſtramine ſomnos,
Unus ego aſſiduis vexor imaginibus.

Sed

Sed neque me terrent metuendae monſtra Dianea,
  Totque procelloſo victa pericla mari.
In me ſaevit Amor, nec habent loca ſola quietem,
  Quid tibi cum ſtrato pauperiore Puer?
Pallia habenda tibi bis murice tincta laconum,
  Regiaque idaeis condita marmoribus.
Quo non ſollicitus penetret labor, altaque egenae
  Cura domus, inopi ſemper amica lari.
Quid quod & hic Dictynna tuis inviſa ſagittis?
  Duratuſque aeſtu, frigoribuſque ſenex?
Mitius oppetere, atque avidis fore piſcibus eſcam,
  Quam nullo tutum vivere poſſe loco.
Mane erat, Adriacas iterum vocat auſter in undas,
  Noſque vigil clara navita voce ciet.
Jam funes legit, & celeris parat arma carinae,
  O domus, o feſſis hoſpita terra vale.
Tecta valete, valete ignes, vale optime Lynceu,
  Voſque ſalutiferi Dique, Deaeque loci.
Siquid cum Phoebo vigiles meruere labores
  Carminibus vivet gloria veſtra meis.
Nec magis Herculei fuerit caſa nota Molorchi,
  Alterius Lynceus Herculis hoſpes erit.
Haec ubi, diſceſſi paſſis ſuper aequora velis,
  Hauſit & optatum concita pinus iter.

AD MAXIMILIANUM CAESAREM.

TE nihil eſt majus, regno nil majus avito,
  Nomine nil majus Maximiliane tuo.
Vix totidam mundum vaga gloria pervolat alis
  Facta, quot ingenio ſunt meditata tuo.
Non minus illuſtrem gens Auſtria jactat alumnum
  Quam celebret magnum Gnoſia terra Jovem.

Qui ſpecimen Clarii, Getici qui pectus, & arma
Maenaliique velit noſcere corda Dei.
Ille tuam adſpiciat faciem, dextramque ſalemque
Treſque uno cernet corpore Coelicolas.

AD CAELIUM CALCAGNINUM.

COELI, qui numeros Catullianos
Calles tam bene quam Catullus, iſtum
Qualencunque, precor, fuges timorem,
Ne noſtrum metuas ſubire naſum.
Tam ſcitam, & lepidam locutionem
Auſit nemo loquax, dicaculuſque
Ronchis perſequi, & inquinare morſu.
At quanto minus Hercules timendus?
Nulli noxius, omnibus benignus?

PRO ANGELO PULITIANO.

QUIS Lycias ſortes? quis Phthiae carmina Vatis
Tranſmiſſos Deli quis neget huc Tripodas?
Quippe hic aſſidue Phoebus, Muſaeque parentant,
Et caros lacrimis ſaepe lavant Cineres.
Quin ſi fata velint, tegerentur numina, ſub qua
Angelus obdormit Pulitianus humo.

GIGANTOMACHIA

QUAM INCHOATAM RELIQUIT MORTE PRAEVENTUS

AD LUCRETIAM BORGIAM.

ANGUI pedum vires, immaniaque arma Gigantum,
Aſſertoſque polis montes, ſedemque Tonantis
Affectatam homini, disjectaque ab aethere monſtra
Si-

Sicania aeternas ſubter juga pendere poenas,
Laetitiamq; Deum domitae poſt proelia Phlegrae
Eſt animus memorare, veni mihi dexter Apollo.
Tuque mihi, & Clio, Cliuſque ſororibus, omnes
In numeros oranda magis, da Borgia vires
Carminibus, longoſque abſcondita bella per annos
Diva refer, ſeniumque meo concede labori.
Jupiter ut ſaevis trepidare Gigantibus aſtra
Cernit, & hos humeris montem ſuper addere monti,
Pervius ut fiat congeſtis molibus aether,
Imperat acciri Divos, coit omnis Olympo
Turba Deum, ſedet ipſe toro ſublimis in aureo.
Utque oculos circum, quibus omnia conſpicit, egit,
Sic exorſus. eo dicente volumina Caeli
Haeſerunt, ſiluitque Aether, & olympica Seiren.
Di quibus aſtra datum colere, & loca ſumma tueri
Quos volui aeternos mecum regnare per annos,
Quoſque habui fidos comites Titania contra
Arma, decennali ſuperos urgentia bello,
Nunc opus eſt animis, quibus eſt defenſus Olympus.
Immanes cum jam Titanes ad aurea Caeli
Hoſtia, victrices agerent ſine more phalangas,
Terrigenae audaces noſtro detrudere Caelo
Et me, voſque parant, jamque altum tollere adauſi
Oſſan, & aemathii molem convolvere Olympi,
Quaeque extrema Deum nocturno munere fungi
Luna negat, ſi non propere auxiliaribus armis
Adſimus, nubeſque ſua ſtatione paventes
Jam retro ceſſiſſe refert, nec in aere quenque
Noſtrorum jam poſſe datis conſiſtere ſignis.
Quod ſi adeo caſtris palantibus occupet hoſtis
Lunaris convexa globi, nil proximus Arcas
Nil Venus obſtiterit per inane furentibus altum.

Qare agite in medium quod quiſque probabile ſentit
Conſulite, & patrio unanimes ſuccurrite Caelo,
Quin nobis potius, neque enim dubitabile cuique
Extrema immanem noſtro de ſanguine gentem
Supplicia hauſuram, ſi nos agat impia peſſum,
Enceladi manifeſta ſatis, ſatis agnita Caei
Mens, & ſaevorum tumefacta ſuperbia Fratrum.
Jam tenebras nobis, jam vincla ſaeva minantur,
Atque erebi poenis, poenis graviora Promethei.
Dixerat haec. magni fremuere palatia Caeli,
Jamque omnes bellare volunt. certamina Mavors
Prima petit, renuitque moras, urgetque Tonantem.
Cum ſubiit Cybele genitrix juſtiſſima Divum
Maternae dudum pietatis Imagine tacta.
  Quid non Caelicolae potius compeſcere tantos
Bellorum ſtrepitus, inimicaque foedere caſtra
Jungere tentamus nobis, & ducere Caelo?
Fors, nec erunt regno indecores, nec inertibus armis
Obfuerint nobis, ſi quis belli exiget uſus,
Expulerat, memini, Vos & meminiſſe poteſtis,
Briareon, Cottumque, Cygenque in Tartara Caelū,
Natorum horrendam molem, & tot membra peroſū.
Hi tamen e tenebris ad regna ſuperna vocati
Quantum opis attulerint vobis, noviſtis abunde,
Nec minus his, veſana Deos tunc arma premebant.
Aſtra metu pallere, undiſque occumbere vidi
Praeſcriptos longe ante dies, nec velle Triones
Stare loco, vetitoque fugam ſibi quaerere ponto.
Quaeque ſub Oceano ſemel abdita, rurſus in auras
Surgere Caeleſtes bello tremefacta negabant.
Nec prius auſa polis ad munera ſueta reverti,
Quam ſcirent imo monſtra impia cluſa Barathro,
Atque illis certus victoria nuntius eſſet.

Adde

Adde quod hoc non eſt genus aſpernabile Divis,
Sanguine enim adjuncti Caelo, juvet eſſe parente,
Qua Caelum exortos, miſeraeque ignoſcite Matri,
Si dedit hoc tales ira irritata Deorum,
Non ferat ulla aeque natorum funera Mater.
Quid contra non ipſa parem, ſiquem aegra jacentem
Adſpiciam veſtri Coetus? ſed triſtia longe
Omina, & horrendi plaga immemoranda doloris.
Saevitum ſatis eſt, ſat eam titania fleſſe
Funera, adhucque oculos luctu ſtillare recenti.
A per ſiqua Deis pietas, miſereſcite Matris
Infelicis, & hos potius frenare furentes
Quam punire reos libeat, per & ubera noſtra,
(Uberaque oſtendit) quae vos ſuxiſtis, & alvum
Oro per hanc, in qua creviſtis Numina, pacem.
Fingite me ſontẽ, veniam precor, an quoque veſtrae
Oranti abnuitis dextram, pacemque parenti?
Talibus & lacrimis ſuperos commovit obortis,
Extemploque minae, atq; animorum elangüit ardor,
Sedatique probant canae pia dicta Cybelles.
Ipſe Deum rector volucrem jubet Arcada caelo
Delabi in terras, offerreque munera pacis.
Nate ait, Aemathios pernix allabere campos,
Terrigeniſque meo haec fer nomine fratribus orſa:
Quãquam ingens excire odium, atque ultricia bella,
Veſtrum immane nefas, viſque haec temeraria poſſit,
Uſque adeo tamen aeterna pietate movemur,
Ut ſi perteſum admiſſi, mentiſque ſuperbae
Maluerim amplecti, quam debellare merentes,
Ponite humi elatos montes, tumefacta reſidant
Pectora, & in noſtrum laeti contendite regnum.
Ambroſiaque dape, atque aeterni nectaris hauſtu
Caelitibus miſti, mecum omnes vivite in annos.

Sin obduratae mentes, faſtuſque maligni
Et ſuperis bellum, exitiumque inferre paratis,
Spe vana eluſos, rapidi Phlegethontis ad undas
Detrudam obnixus partem, partemque ſub alta
Saxorum mole, atque injectis montibus abdam.
Haec ubi percepit Maja ſatus, explicat alas,
Paciferamque capit virgam, cui ſedulus addit
Signum oratoris ramum pacalis olivae,
Deſcenditque polo; pavidaeque ut forte cohortes
Occurrunt, ſperare jubet, pacemve, novumve
Praeſidium, atq; animos celerans trepidantibus addit.
Eſt locus, Aemoniam dixere, nivalia laetos
Undiq; nunc vallant campos juga, Pindus, & Othris,
Pelion, & media vix tunc plus parte tenebant,
Quippe erat ex imis moles Oſſaea cavernis
Eruta, divulſique patebat hiatus olympi.
Montibus ingeſti montes, jam Pelion Oſſan,
Oſſaque frondoſi grave onus geſtabat olympi.
Feſſus Atlantiades ſuper alta cacumina Pindi
Sedit, & oppoſitae admirans faſtigia molis,
Pene Jovi, ſuperiſque timet, primoſque per auſus
Ingentes animos, & inexuperabile robur
Terrigenae ſobolis ſecum putat, arduaque illi
Apparent longe capita, atque immania membra,
Forte ingens nutabat onus, ſeu Pelion altis
Verticibus, geminaque oppreſſum rupe labaret,
Seu male Peliacis humeris conſideret Oſſa,
Sive haec impoſitum tergo male ferret Olympum.
Ergo per aerias ſylvas, praeruptaque ſaxa
Anguineas volvens ſpiras, caudaſque tremendas
Planitiem Veſana cohors raptarat ad imam,
Necteret ut ſolida molem compage labentem.
Collectique ſimul verba inconſulta ferebant
Sub

Sed divo, & belli inter ſe de rebus agebant.
Strata dabant Spelaea toros, dabat integra ſceptrum
Ornus, & ingentes velabant tempora quercus.
Idem honor, atq; animus cunctis, eademque poteſtas
Neſcia ferre minas regni, arbitriumque prioris,
Quot ſteterant, totidē eſſe prius juga credidit Arcas,
Mox ubi deprendit ſaevorum ingentia fratrum
Corpora, vix motis celſo de vertice penis
Fertur avi ſimulis, fractaque crepidine ſaxi
Conſtitit, & dextra ramum praetendit olivae.
Illi autem ut medium adſpiciunt, inſurgere contra,
Stringereque arma, ſimulq; horrendū attollere caelo
Clamorem, & praelata inſignia temnere pacis.
Enceladuſque prior, quiſquis, mihi fare, Deorum
Quid venias, neque enim noſtros accedere coetus
Quemquam audere hominū per multa pericula novi.
Horruit his monſtris Tegeaeus inermis, & alto
Mallet adhuc caelo, & Patria in ditione morari.
Poſt tamen intrepido ſimilis, ſic ore locutus.
Accipite aequo animo quae nuntius ipſe Deorum
Vobis juſſa fero non contemnenda Gigantes.
Talibus arrexere aures, animoſque parumper,
Atque avidas coedis dextras tenuere, jubentes
Diceret, atque ollis ita farier incipit Arcas.
Quamquam ingens excire odium, atque ultricia bella
Veſtrum immane nefas, viſque haec temeraria poſſit,
Uſque adeo tamen aeterna pietate movetur
Rex hominum, Divumque pater, cuiſidera parent,
Ut ſi perteſum admiſſi, mentiſque ſuperbae
Amplecti malit quam debellare merentes,
Reddite humi hos mōtes, tumidoſq; reponite faſtus.
Caetera dicturum furiata mente Typhoeus
Occupat, imbelles Solymos, & inertia corda

Caſtiget pater iſte Deum, quos ſegnis ab alto
Terreat uſque polo, jubeatque abſiſtere coeptis.
Jus proprium nobis, & neſcia cedere cuiquam
Pectora, degenerique a matre infenſa pavori.
Tantum & abeſt ut nos pigeat loca ſumma, Deumq;
Affectaſſe toros, libeatque extructa timore
Saxa remoliri, & cum Jove quaerere pacem,
Ut majori etiam ſtrue ſidera adire paremus,
Voſque omnes toto ſuperos depellere Caelo.
Lanea jam non vincla manent, ſed ahena Tonantem,
Cumque tonante Deum vulgus, mihi debita Caeli
Regia, & imperium Terrae, Pontique, Erebique,
Dic, venia, quam mittit, eget. dic brachia ſupplex
Porrigat, alternaſque vices me evolvere rerum
Cujus major ineſt ſinat, atque ea corriget ultro,
Ni faciat, pejora manent ipſumque, ſuoſque
Caelicolas, magnique rotantia moenia mundi
Sternemus, rurſumque igni miſcebimus undas,
Aeraque, & terram ſimul his confuſa trahemus.
Teque niſi hinc abeas, tuaque haec inſignia tecum
Adſportes, fruſtra veniam miſerande petentem
Abreptum pedibus ſummum trans aethera mittam.
Immoquid in poenas ſegnes cunctamur Echion
Saevus ait, luat iſte ſui commiſſa Parentis,
Si nil fraudis habet, ſed & hunc ſpectaſſe recordor
Obvium, & audaci dextra contra arma ferentem.
Non illi imbellis fuerat tunc Virga, ſed enſis
In falcem flexus, galeae & munimen ahenae.
Quin volat huc illuc, terraſque, aequorque profundũ,
Explorator obit, nigraſque adit impiger umbras,
Nilque eſto obfuerit, ſatis eſt genus eſſe Deorum.
Titanas ne adeo ſemper patiemur inultos?
Talia vociferans, ingentem coniicit ornum
Mer-

Mercurium contra, nec ſe temerare veretur
Sanguine legati, ſed & his ſcelus aggravat orſis.
O, cur non omnes una datur arbore Divos
Proterere, atq; ipſum in primis conſternere Regem.
Ille videns longe vulnus, celer exit, & alis
Emicat, ut trepidans tela ad ſtridentia Cornix.
Quae ſimul intento Gortinia vidit in arcu
Spicula, praedonem obſervat, celeremque ſagittam
Nec prius emiſſae procul audit harundinis ictum
Quam levibus liquidas pennis cita fertur in auras.
Una omnes ruere, & mortem intentare videres,
Hic ſceptrum jacit, hic raptam de vertice quercum
Intorquet, vulſis agit ille molaribus hoſtem
Littora diſſultant ſtrepitu, reboantque cavernae
Altorum nemorum, & vaſtis clamoribus omnis
Aemathia, & rapidos cohibent vada tertia curſus,

TITI

TITI VESPASIANI STROZAE CARMINA.

ADLOQUITUR LIBRUM.

VADE Liber Divi ſecurus ad Herculis Aedes,
Nam faciles aditus Regia mitis habet.
Nec vereare, licet magnis ego vatibus impar,
Sandalias biberim, non Heliconis aquas.
Scit tamen, ut noſtras viridis Venus aurea myrti
Non dedignetur cingere fronde comas.
Vade igitur, nec te properantem proxima tardent
Atria, magnanimi nobile Regis opus.
Nec tot clara tuos teneant palatia curſus,
Singula dum cupidum cernere pulchra juvat.
Juncta foro Delubra petes, ſuperoſque rogabis,
Ut coptae praeſtent omina fauſta viae.
Protinus ingentis tranſgreſſus limina templi,
Magnorum ſtatuas tres venerare Ducum.
Alberti a Leva tibi erit ſenioris Imago,
Qui tenet Auguſta ſceptra paterna manu.
Ille ſuas, Urbiſque ſimul firmavit, & auxit
Pontificis Claro munere dignus, opes.
Caelatuſque Patris magni venerabile donum
Civibus oſtendit, partaque jura, Lapis.
Pars adverſa fori, quae proxima cernitur Aulae
Non minus ornatu conſpicienda ſuo eſt,
Nicoleos ibi marmoreo ſublimis in Arcu

In-

Inſidet aurato pacis amator equo.
Grandibus hic meritis Hominum ſibi pectora vinxit
Certus Amor populi, delitiaeque ſui.
Filius hunc juxta ſolio ſpectatur in aureo
Borſius, illuſtres maximus inter avos.
Ille novum primus noſtrae Decus addidit Urbi,
Altaque jam fama contigit aſtra ſua.
Hos pietate pari colimus, ſemperque colemus,
Hos omnes patriae ſenſimus eſſe Patres.
Quos ubi tranſieris, poſteſque intraveris altos,
Incipe marmoreos dexter adire gradus.
Occurrent ſpacioſa tibi Coenacula, per quae
Ad magni Thalamos Herculis ire datur.
Sed cave, ne pictis radians laquearibus aurum
Spectanti longae ſit tibi cauſa morae.
Ad Dominum propera, quem poſtquam videris, illi
Caetera poſtpones, quae pretioſa putas.
Fac valeas animo, Divini luminis ardor
Ne viſus hebetet corde ſtupente tuos,
Ille quidem facilis, nec te (niſi fallor) euntem
Deſpiciet, placida ſuſcipietque manu.
Sed licet auratos tibi purpura veſtiat artus,
Sit bene compoſitis Littera picta notis,
Et quamvis cultu poſſis non vilis haberi,
Haud tamen id ſatis eſt, ni meliora feras.
Non ebore & gemmis, non auro vera paratur
Nobilitas, aliquid majus habere decet.
Nam virtutis opes tantum ornamenta putantur,
Quas fortuna ſua datque, rapitque manu.
Haec igitur nequeunt generoſum reddere quenquam,
Cauſam in ſe virtus nobilitatis habet.
Quare, ne ſimilem Princeps te judicet umbrae,
Quae norit nullos edere muta ſonos,

Oſcula

Oſcula cum dederis felici debita dextrae,
Sis memor haec Regi dicere verba meo.
Summe Ducum, quo non alius vel nomine major,
Vel bello melior, vel pietate prior,
Strozius haec juſſit me limina Titus adire,
Qui tua non ficta numina mente colit.
Cujus certa fides, variis tibi cognita quondam
Caſibus, extremum ſtabit aduſque diem.
Ille ſub auſpicio, primis quae luſerat annis
Haec prodire cupit qualiacunque tuo,
Major ut accedat ſcriptis ex nomine tanto
Gloria, qua tecum vivat, & ipſe diu.
Nec velut egregiam me rem tibi dedicat author,
Quaeve ſit Herculeo digna ſupercilio,
Sed potius, ne quot meritis, & qualibus illum
Proſequeris, memorem ſe minus eſſe putes.
Sume libens animus quicquid tibi deditus offert,
Non data, mens dantis reſpicienda tibi.
Non aſpernantur ſincero corde ferentes,
Supplice cum voto munera parva Dei.
Tu quoque terrarum, atque hominum cui lata poteſtas,
Peneque caelitibus par, imitare Deos,
Et licet Imperii te moles occupet ingens
Aſſiduis curis, detineatque ſibi,
Fronte tamen placida, ſiquid praeſtabitur oti,
Reſpice ad haec praeſens quae tibi dona fero.
Invenies aliquid teneros hic praeter Amores,
Judicio damnes quod minus ipſe tuo.
Teque, tuaeque leges clariſſima nomina gentis,
Ac celebres fama quos canit ille Viros.
Addita ſunt etiam pedibus nonnulla ſolutis,
Texta ſit ut varia noſtra corona roſa.
Utque reor proprium, quod poſtera forſitan aetas
Sit

Sit lectura, tibi nunc meditatur opus.
Talia magnanimi per te referantur ad aures
Herculis, o Domino care libelle tuo.
Sedulus haec poſtquam mandata peregeris, ut nos
Diligat, hoc nimium ni putat eſſe, roga.

AD POETAM.

NON mea Pegaſeos tenuis libare liquores
Auſa, nec Aonium Muſa ſubire nemus,
Limoſas inter potius ſed nata paludes,
Incultis didicit ſtridere arundinibus.
Cui neque conveniunt Citharae, nec laurea ſerta,
Gloria quae doctis contigit ingeniis.
Illius apta magis Nonacria fiſtula collo,
Populea ſat erit cingere fronde comam.
Ille, meos ſummis verſus qui laudibus effert,
Clarus & ingenio eſt, clarus & eloquio.
Sed nobis nimium fortaſſe indulſit, & illud
Caſtelli ſuperat gratia Judicium.
Tu quoque parce leves nugas extollere tantum,
Non petit ingentes parvula muſa ſonos.
Illa mihi triſtes faſtus, animoſque Puellae
Molliat, & teneris oſcula det pedibus.
Et placidam exoret felici carmine pacem,
Rideat alludens, eliciatque Jocos.
Te quem bella juvant acri referenda cothurno,
Clara Poetarum munera ferre decet.
Nam qua me dignum cenſes, tibi gloria parta eſt,
Et nova Baſinii carmina nomen habent.

AD JANUM PANNONIUM.

ARBITER idaeus quamvis ſua praemia nondum
Viderat, & qualis Tyndaris ipſa foret,
Dicitur abſentis tepuiſſe cupidine formae,
Aequarat victrix quam Cytherea ſuae,
Ut Menelaeos ſubit ratis hoſpita portus,
Obviaque eſt phrygiis facta lacaena viris,
Acer in extremis Paridi calor oſſibus haeſit,
Atque ipſas Helene vincere viſa Deas.
Sic ego judiciis hominum te Jane probari
Accipiens, coepi nomen amare tuum.
Longaque de ſtudiis quoties oblata facultas,
Laetabar tecum ducere colloquia.
Sic veluti quoddam fatis praeſentibus ortum
Principium inter nos hujus Amicitiae.
Vel lecta eſt Tomyris, necnon Conſtantia Trottae,
Quas immortales Dive Poeta facis.
Vidimus & poſtquam tua carmina Amore relicto,
Grande quibus ſuades aggrediamur opus,
In te crevit Amor meus, & nova gloria famam
Tranſgreſſa eſt, dextro numine parta tibi.
Tanta ibi dicendi gravitas, facundia tanta eſt,
Reddar ut incertus quid magis ipſe probem.
Et tibi Phoebus adeſt Elego ſeu carmine laudas,
Sive canis paribus grandia facta modis.
O dilecta Deis, o feliciſſima Tellus,
In qua tu fauſto ſidere progenitus.
Nos quoque felices, ad quorum limina ſacros
Pieridum cantus ex Helicone refers.
Tu tamen in primis nova concipe gaudia, noſtri
Temporis egregium clare Guarine Decus.

Nam

Nam liquor ille tuo manans de Flumine, latum
Per Terras omnes jam ſibi quaerit iter.
Optima ſic fructus generoſos educat Arbor,
Sic radios ſpargit Cynthius ipſe ſuos.

AD FRANCISCUM PHILELPHUM.

TOT Franciſce mihi tribuunt tua carmina laudes,
Sic mihi praeſentes ſcribis adeſſe Deos,
Ut cuiquam ſi tot pars rerum obvenerit ulla,
Felicem hunc merito quilibet eſſe putet.
His me aliquid ſtudiis operae impendiſſe fatebor,
Pieriique ſacrum nomen amaſſe chori.
Sed non haec propter ſic efferor, ut mihi primum
Eſſe locum inter vos docte Philelphe rear.
Veſtra ſequi ſatis eſt veſtigia, dummodo dicar
Non dominae penitus diſplicuiſſe meae.
At mihi ſi quicquam Princeps indulget, ut ipſe
Aſſeris, & ſiquid gratia noſtra valet,
Forſitan in nobis aliquid ſe judice dignum,
Vel ſaltem quod non improbet, eſſe putat.
Caetera ſi deſint, ſtudium perſpexit, & hujus
Pectoris egregiam non ſine Amore fidem.
Borſius in primis recti optimus author, & aequi eſt
Arbiter eximius, praeſidiumque bonis.
Quem mirae exemplum Caelo virtutis ab alto
Demiſſum his Terris contribuere Dei.
Hunc apud ulla mihi ſi ſpes non vana favoris,
Efficiam, votis ut patiare tuis.

AD GUARINUM DE PHASI AVE.

SIQUIS Apollineum miratur Ariona quondam
Coeruleo invectum Delphine ſtupentibus undis
Dulcibus illectos piſces tenuiſſe querelis,
Siquis & aerios montes, & ſaxa, feraſque,
Et nemora, & Volucres, & verſo flumina curſu
Mollia Biſtonii properaſſe ad carmina Vatis,
Confiſumque lyra ſiquis cinxiſſe canendo
Thebanam ſubitis Amphiona moenibus Urbem,
Credibile eſſe negat, noſtri miracula ſecli
Audiat, & quicquid cecinit veneranda vetuſtas,
A falſo diſtare procul, verumque putabit.
Quam ferus accipiter captam me teſte peremit,
Ecce iterum fruitur vitali lumine phaſis,
Atque novam induitur, formam, farique diſerte
Novit, & ad Dominum defert mandata priorem.
Non tamen hanc ullis vates Epidaurius herbis,
Ceu quondam extinctũ Hippolytũ, mandãte Diana,
Rettulit in lucem, nec carmine dira potenti
Phaſias aetherium revocavit rurſus in orbem,
Verum illi hoc tantum magni nova muſa Guarini
Muneris attribuit, dumque altum lucida caelum
Aſtra colent, dumque Adriacis padus influet undis,
Dum Borſi Ducis extabit venerabile nomen
Laudibus egregiis, ac dextro numine partum,
Immortalis erit, longumque manebit in aevum
Noſtra Guarineo celeberrima carmine phaſis.
Aſſyriaeque parem volucri mirabitur aetas
Poſtera, vivacem innumeros duraſſe per annos.
At cui permiſſum eſt, triſti data corpora leto,
Spiritibuſque animare novis, mortemque fugare,

Hu-

Humanum alitibus ſenſum dare, verba docere
Pierios imitata ſonos, hominumve Deumve
Hunc rear eſſe? Deus certe Deus ille putandus.
Ergo ſibi vitam poſcens a te optime Vates
Altera phaſis adeſt, animam cui martius ales
Abſtulit, atque ſuam ſortem ne ſorte ſororis
Pejorem rogat eſſe velis, inſtructaque ſacris
Artibus, huc a te miti legata Guarine
Flagitat, ut caro tua carmina reddat alumno,
Divitiis Croeſi, atque Mydae quae praeferat auro.

AD BAPTISTAM GUARINUM.

NON ita, cum rapido fervens ſitis urget in aeſtu,
Quaerit fontanas Cervus anhelus aquas,
Nec vaga ſic avide, rediere ubi tempora veris,
Cantat, & in teneris frondibus errat Avis,
Nec ſic laetus adit patriamque Domumque viator,
Poſt terrae, & vaſti longa pericla ſali,
Ut Baptiſta libens nuper tua carmina legi,
Ubere de vena, quae tibi culta fluunt.
His ego perſpexi, quod me non fugerat, in nos
Ex omni ſtudium creſcere parte tuum.
Scilicet hic animi modus eſt, ratioque benigni,
Ut nulli in magno cedere amore velit.
Hoc in Oreſte ſuo Pylades, in Achille Patroclus,
Euryaluſque pio vidit in Irtacide.
Se quoque Perithous nunquam non ſenſit amari,
Cum ſibi devinctum Theſea diligeret.
Tu, quem jampridem ſtudio complector amico,
Gratus es, atque pari par in Amore refers.
Sylvarum Cupidi vates, & ad ocia nati,
Seceſſus molles, & loca ſola petunt.

Illic ſecuro de pectore carmina ducunt,
  Laetaque jucundae tempora ſortis agunt.
Talia nos etiam memoras exempla ſecutos,
  Clamoſi ſtrepitus deſeruiſſe fori.
Tum Quartiſanae genialia rura colentes,
  Condere, quod longo tempore duret, opus.
Quin vatum egregios, te judice, dicor honores
  Aequare, & magnum nomen habere feror.
Laeter, an indoleam, quod me tot laudibus ornes?
  Quod veterum claris conferar ingeniis?
Non equidem poſſum mihi non gaudere, diſertis
  Auribus uſque adeo ſcripta placere mea.
Nam non ulla poteſt homini laus gratior eſſe,
  Quam quae laudati prodit ab ore viri.
At noſtro exiguae quam ſint in carmine Vires,
  Cum ſubit, ingenuus tunc pudor ora notat.
Et vereor, ne non titulis reſpondeat iſtis
  Ingenium, quod tu tollis ad aſtra meum.
Subdubitoque, oneri ne ſint, quae tradis honori,
  Judicio inveniar ſi minor eſſe tuo.
Siqua tamen nobis dicendi gratia, ſiquis
  Creditur in noſtris verſibus eſſe nitor,
Hoc Baptiſta tuo tribui decet omne parenti,
  Quo Duce pieria coepimus ire via.
Imbuit ille rudes generoſis artibus annos,
  Atque haec ex illo flumine manat aqua.
Eheu quale Deus mors abſtulit invida Terris?
  Cum patrios adiit nobilis umbra polos.
Te venerande Senex vitae praecepta ferentem
  Optima divino ſenſimus ore loqui.
Nunc tecum occubuit geminae praeſtantia linguae,
  Et cecidit priſca cum pietate fides.
Graecia te luget lacrimis comitata latinis,

In-

Interitumque gemit Barbara Terra tuum.
Illa tamen nobis reſtant ſolatia, quod te
Erepto ſupereſt pars quoque magna tui.
Vivit enim, vivetque diu tua gloria, cujus
Aemula Natorum ſurgit honeſta manus.
Si cuiquam videor ſub praeceptore Guarino
Profeciſſe parum, culpa docentis abeſt;
Quod male percepit clari documenta Magiſtri,
Diſcipuli arguitur tardius ingenium.
Ut tamen accipio, populi mea venit in aures
Anthia, nec doctis diſplicet illa Viris.
Noſque Poetarum numero (ſi credimus illi)
Non humili inſeruit dextera fama ſono.
Quicquid id eſt, luſi Juvenis juvenilia, ſi qua eſt,
Serviat hinc magno noſtra Thalia Duci.
Cujus facta licet nequeam comprendere dictis,
Borſiaque Eſtenſes gloria vincat Avos,
Quid poſſim experiar, meritorum Principis in nos
Officiique memor quo ferar eſſe mei.
Si deerunt vires, ſtudiumque fideſque ſuperſunt,
Haec non ingratae pignora mentis erunt.
Cetera maturo ſed cum gerat optimus Heros
Conſilio, populis proſpiciatque ſuis,
Nunc quoque laudari meruit de Rhetore tanto,
Quod bene conſuluit civibus ipſe ſuis,
Virtuti confiſa tuae Ferraria cum te
Defuncti cuperet munus obire patris,
Senſit idem, & laudi meritae Dux praemia ſolvit,
Decreto & ſanxit publica vota ſuo.
Quaeque olim fuerat Divini cura Guarini,
Hanc tibi mandamus non renuente Duce.
Novit enim judex hominum, cenſorque ſeverus,
Te nihil a magno degeneraſſe patre.

Et tibi vix dum etiam Juveni creſcentibus annis,
 Doctrina paucos eloquioque pares.
Quid magis optandum tibi? quid contingere majus
 Tanto conſenſu, judicioque poteſt?
Sic igitur clara ſimilis virtute parenti,
 Dignus in hac patrias excipis Urbe vices.
Et jam noſtra fluit, pariterque extrema juventus,
 Undique praeceptis inſtituenda tuis.
Ac deſiderium minuit Genitoris ademti,
 Par in te probitas, ingeniique vigor.
Tu nobis virtute tua, meritiſque parentis
 Carus es, inque dies noſter abundat Amor.
En age, quodque facis, duros evince labores.
 Aſpice quantum in te, & quale recumbat onus.
Tum cui ſuccedas, quo ſis patre natus, & a quo
 Veneris accitus, pectore volve tuo.
Hoc erit acris equi ſtimulis accendere curſum,
 Et ſinuoſa citae tradere vela rati.
Ille triumphales ſtatuas ſpectabat Avorum,
 Cui celebres titulos Africa victa dedit.
Senſit enim his viſis, ardorem inſurgere menti,
 Seque novo pulchrae laudis Amore rapi,
Tu quoque ſic facito, & reliquos cum viceris omnes
 Te ſupera, & Decori grandius adde Decus.
Interea valeas noſtri memor optime Vates,
 Quo mihi non alter junctior eſſe poteſt.

AD MAZONUM

LAUDANS VENETIAS.

DUM vagus Adriacis Mazone paludibus erras,
 Clarum ubi tyrrhenae floruit Urbis opus,

Cu-

Cura tibi eſt veteres ſub aqua ſpectare ruinas,
Cernere & annoſo fracta ſepulcra ſitu.
Nunc libet undivagos demiſſis fallere piſces
Retibus, & parvae nunc dare vela rati.
Et nunc indigenis priſci referentibus acta
Temporis, a ſenibus quaerere multa juvat.
Diluvii quae cauſa fuit, num caſſus, an illud
Excidium genti bella tulere ſuae.
Quo ſub rege gravis moles oppreſſit aquarum,
Hinc noſtro nomen quae dedit ora mari.
Hinc te fama refert Venetam contendere ad Urbem,
Scrutantem ingenio plurima digna tuo.
Per geminas licet ire vias patet una per altum,
At per ſtagnantes altera ducit aquas.
Si citius tranare cupis, fornacibus exi,
Fac modo, tranquillo pax ſit ut alta mari.
Longum iter, at tutum per inertes ire lacunas,
Cum trucibus ventis horrida ſaevit hyems.
Hac ſinuoſa leges piſcoſi Clauſtra Loreti.
Ante tuos oculos mox nova turris erit.
Clodia te excipiet Bebiis poſt terga relictis,
Dives inexhauſti Clodia longa ſalis.
Portus ad auroram vergens ſinuatur in arcum,
Turris ubi anguſtis imminet alta fretis.
Hic perhibent magnis certatum claſſibus olim,
Nullaque jam Veneti ſpes erat Imperii.
At Lygur adriaca ſperans de gente triumphum,
Coeruleas proprio ſanguine tinxit aquas.
Inde Palaeſtinae tua radet littora puppis,
Et ſpirante noto continuabis iter.
Perveniens ubi ſe tumdum Mathemaucus in aequor
Porrigit, & vaſta mole repellit aquas,
Haud procul hinc humilem praeter labere Poviam,

Deſeſſis olim navibus hoſpicium.
Tum magnae a leva ſeſe offeret aemula Romae
Urbs, legem quae tot gentibus una dedit.
Quicquid alit tellus, quicquid mare, cernitur illic.
Imperium dices hic locus orbis habet.
Illic fundatas mediis mirabere in undis
Altaque marmoreas ſurgere ad aſtra domos.
Templa Deum gemmis, varioque nitentia cultu,
Egregia decorat plurimus arte labor.
Palla ſed in primis Marci pretioſa beati
Italiae cunctas unica vincit opes.
Quatuor auratos in templi vertice ſummo
Artis opus mirae ſtare videbis equos.
Spiritus, & veri ſpecies Mazone coloris
Deficiunt, nemo cetera viva neget.
Tot proceres, tantum populi ſpectabis, ut illuc
Humanum credas omne coiſſe genus.
Regibus e multis illum conſtare ſenatum
Qui negat, hic ſenſu, judicioque caret.
Per freta mille ſimul cymbas volitare videbis,
Remigio celeri quas ſcytha fortis agit.
Montibus aequandas naves, longaſque triremes,
Immenſum latis vix capit aequor aquis.
Torcellum aſpicies, necnon Murania tempe,
Atque ſuburbanis ſparſa vireta locis.
Singula praetereo, quae ſi nunc dicere pergam,
Diffuſum mundi pingere coner opus.
Sed tamen haec ſumma eſt, virtutem, animoſque virorũ
Fortunae dotes exſuperare ſuae.
Hactenus iſta probo, ſed non ita cetera, nam te
Illyricas gentes viſere velle ferunt.
An tibi ſunt tanti ſcopuloſae littora Polae?
Semper & arcto a Signia cincta nive?

Num

Num formidandum ratibus vidiſſe Ceraunum
  Sic juvat, & rigida ſaxa revulſa Paro,
Ut mare contemnas, ut nos fugiamur amici,
  Et cum longaevo tota parente domus?
Ludorum ut pompa careas, feſtoque paratu?
  Aurea cum celeri praemia dantur equo?
Ut Ducis adſpectu nuſquam revocere ſereno?
  Quem Scytha, quē Libycus Maurus, & indus amant.
Follibus illa tuis loca, Mercurioque necando,
  Quam latebras Catulae, num magis apta putas?
Falleris, ad Meroen ſatius properare fuiſſet,
  Nanque opera aſſidui veſtra coloris egent.
Quod ſi judicium Mazone requiris amici,
  Nec tibi, nec cuiquam, quod petis, eveniet.
Sed cinis, & fumus, pulvis, ſuſpiria, verba,
  Sunt aerumnoſi lucra magiſterii.
Eſſe poteſt, ut forte tuus labor utile quicquam
  Poſt varios caſus eruat inde tibi.
Sed nec tantus honor, nec tanta eſt copia lucri,
  Talibus in curis tempus ut omne teras.
Diverſum interea procul a regionibus iſtis,
  Me Quartiſanae, dulcia rura tenent.
Dulcia rura quibus favet indulgentia Divûm,
  Et quae nullius commoditatis egent;
Nanque ferax regio caelum ſortita ſalubre,
  Haud procul a noſtrae moenibus urbis abeſt.
Seu pede, ſive levi cymba juvat ire per undas,
  Dant iter hoſpitibus terra, Paduſque meis.
Adde vias certo directas limite paſſim,
  Mollis ubi aeſtivum negligit umbra canem.
Haec loca Phoebus amat, nec ſunt ingrata Lyaeo,
  Et comes huc Cereri non negat ire Pales.
Hic bene reſpondet Domini vindemia votis.

Horrea depoſcit fertile magna ſolum.
Hic pecori ſua prata vides, hinc caſeus exit,
Quem premit artifici docta colona manu.
Hinc ovium foetus, hinc magnam portat in Urbem
Haedorum teneros ruſtica turba greges.
Hinc etiam alituum, quas cura domeſtica nutrit,
Mittitur arguto copia magna foro.
Sunt hominum varios orti quos cernis ad uſus,
Qui ſpeciem prae ſe, divitiaſque ferunt.
Inde viro gratas epulas parat arva colenti
Depoſita conjux officioſa colo.
Inde legunt flores, nitidaque in veſte Puellae
Feſta coronata compita fronte petunt.
Hic quibus invideant cultores fertilis hyblae
Grata ferunt liquidi munera mellis apes.
Nulla eſt aucupiis, nulla eſt Venatibus ora
Aptior, hanc mediam proxima rura tenent.
At mea, quae ſumtu non parvo condita villa eſt,
Haud ulli merito diſplicuiſſe poteſt.
Hac quoque largus opum cum multa & magna dediſſet,
Donavit fratrem Borſius ipſe meum.
Plurimus hic liber eſt, nec equi, nec magna canum vis,
Nec deſunt Comites, accipitreſve mihi.
Simplicibus quod ſi juvat alluſiſſe Puellis,
Centum formoſas lux tibi feſta dabit.
Hic neque ſacrilegos Vulcani Juppiter ignes
Nec cum ſole Venus, Mercuriuſve timent.
Toxica nec flammis coquimus, nec prodigus iſte
Nos male tentata decipit arte labor.
At ſecura quies agitur, nec fraude, nec armis
Proxima vicinus Dives in arva ruit.
Ergo pari ſtudio mecum ſi vivere curas,
Huc ades, & noſtris utere amice bonis.

AD ZACCARIAM BARBARUM VENETUM HERMOLAI PATREM.

BARBARE, quem nemo doctus neget eſſe latinum,
Qui genus a priſca nobilitate trahis,
Cujus opes magnas, Virtus, & gloria longe
Exſuperant, Venetae non levis Urbis honos,
Quae tibi pro tanto referantur munere grates?
Itala quis tali tempore poma videt?
Fervidus arentes exurit Julius agros,
Et grave me vexat febris acerba malum.
Plurima miſiſti ceu nuper ab arbore carpta,
Quae ſiccam relevent punica mala ſitim.
Et color, & ſapor eſt inſignis, & optimus illis.
Tales tam felix quae tulit arbor opes?
Exſuperant rubros ardentia grana lapillos,
Et nihil hoc fructu ſuavius eſſe poteſt.
Neſcio quid gratum, quod tendere ad acre videtur
Commiſtus dulci nectare ſuccus habet.
Nec patris Alcinoi generoſis legit in hortis
Nauſicae tenera tam bona poma manu.
Et ſibi, quem raptum phrygii doluere miniſtri
Pocula fert Domino non meliora Puer.
Grata fuere mihi tua dona, nec ulla ſaluti
Conveniens magis eſt nunc medicina meae.
Torquet enim ſiccas ergo ſitis arida fauces,
Quas ſuavis placito gutta liquore rigat.
Adde, quod affectus animi teſtantur amicos,
Munera non nullo parta labore tibi.
Nam quae prima Jovi dedit incunabula tellus,
Partem horum, partem ſicelis ora tulit.

Hos

Hos tua tam longo ſervatos tempore foetus
Eruit ex illis ſedula cura locis.
Non vulgaris amor, quo nos amplecteris, id te
Sumere ſollicita mente coegit onus.
Nuper enim audieras, quanto in diſcrimine vitae
Jam pene amiſſis ſenſibus ipſe forem.
Utque cibos omnes, & pocula cuncta peroſus,
Deficerem medias Tantalus inter aquas.
Nil guſtare ſinunt ſtomachi dejectio, quaeque
Peſſima non ullo tempore febris abeſt.
Haec ſunt Tiſiphone mihi, Tiſiphoneſque Sorores,
Triſtius & ſiquid Regia ditis habet.
Huc tuus acceſſit dignus patre filius, utque eſt
Dulcis, & humanus, nos amat, atque colit.
Ad me ſaepe domum venit, & ſermone benigno
Solamen moeſtis non leve rebus adeſt.
Hic ſocios inter vario fugit ocia luſu,
Et vacat his, credit quae mihi grata fore.
Nunc cane venatur lepores, nunc alite Martis
A ſcythico miſſas Phaſide captat aves.
Non nunquam indulget ſtudiis, aviduſque libellos
Qualeſcunque meos perlegit, atque probat.
Hic ita ſe gerit, ut populo ſit amabilis omni,
Junior eſt annis, ſed gravitate ſenex.
Multum illi afficimur, rebuſque rogavimus uti
Arbitrio noſtris ut velit ipſe ſuo.
Nec minus eſt reliquis, tibi quos praeſentia ſervent
Numina, de natis fama ſecunda tuis.
Tempus erat taeda quo jam ſocianda Jugali
Herculeos peteret Regia nata lares.
Sigiſmundus eo clara cum gente profectus,
Me comites inter juſſerat ire ſuos.
At tu Parthenopen Veneta legatus ab Urbe

Tunc forte ad Regem Barbare miſſus eras.
Illic Hermoleos tuus eſt mihi viſus, & illo
Hujus amicitiae ſemina jacta loco.
Eſt via quae celſa perducit Regis ad arcem
Lata, coronatae nomine dicta Deae.
Struxerat hic opere ingenti ſublime Theatrum,
Rex pugnaturos cerneret unde viros.
Nos quoque Principibus miſti ſimulata ſub armis
Praelia deſpicimus, colloquimurque ſimul.
Nunc alacres laudamus equos, phaleraſque nitentes
Et validos ictus, claraque facta virum.
Nunc plauſu Alfonſum excipimus dum robore, & arte
Praevalet, & calabro fulminat acer equo.
Et modo tot Regni proceres, lectaeque ſuperbos
Miramur cultus gentis, & urbis opes.
Nunc mundum inſignem, matronalemque decorem
Miramur, merita non ſine laude tamen.
Ipſa loci facies, & amoeni littoris ora,
Mille in ſe cauſas unde loquamur, habent.
Sed nos praecipue magni movet inclyta Virtus
Regis, hic in noſtro plurimus ore ſonat.
Hunc illum eſſe virum aſſerimus, cui ſolis ab ortu
Solis ad occaſum gloria pandat iter.
Hujus in exitium tot conjuraſſe potentes,
Poſt modo capta Jugo colla dediſſe, Duces.
Fortunam hunc animo ingenti ſuperaſſe ferendo,
Securum laetos nunc agitare dies.
Et domitos placida populos ditione regentem,
Imperii juſta froena tenere manu.
Prolis & innumerae non degenerantis ab alto
Sanguine majorum, quem juvet eſſe patrem.
Qui tamen in primis felix, Lianora quod illi
Filia ſit, meritis non habitura parem.

Nec

Nec minus ad muſas, & ſacrae palladis artes
Vertimus alterna mutua verba vice.
Nam mihi narrabat, graviter quae ſcripſerat ipſe,
Et libros animae de ratione ſuos.
Hos quoque de noſtris aliquot recitavimus illi,
Quos viſus non eſt ſpernere Verſiculos.
Ex illo noſtri proceſſit amoris origo,
Proximitas vires cui dedit ipſa loci.
Nanque Antenorea dum praetor in urbe moraris,
Imperio datur haec ora regenda meo.
Ora bipartitis Atheſis qua coerulus undis
Ambit, & hinc Iſthmon nomen habere ferunt.
Caſtellis munita ſuis provincia, quod te
Non fugit, eſt curae credita tota meae.
Rodigium populis caput omnibus ardua tollit
Moenia, quae placidi fluminis unda ſecat.
Fertilis hinc offert ſe Lendenaria, poſt hanc
Abbatia ſuo gaudet amoena ſitu.
Scinditur hic Atheſis, Patavinas altera ripas
Pars radit, curſum continuatque ſuum.
Altera mutat iter, magnoque ſonore recepta
Faucibus anguſtis per loca noſtra fluit.
Tertius ac juſſis parentes Herculis Annus
Hic jam nos aliquo non ſine honore tenet.
Si nihil haec aliud Regio mihi contulit, unde
Non querar, a patria quod procul urbe morer,
Praebuit hoc ſaltem, ſummis quod quaerere votis
Debueram, tua quod terra propinqua meae eſt.
Hujus, & illius confinia gentis utrinque
Finitimus media dividit amnis aqua.
Ut valeas, ubi ſis quid agas, ego ſaepius iſtinc
Accipio, & laetor proſperitate tua.
Et meus hinc contra ſtatus eſt tibi cognitus, & ſors,
Ut

Ut video, rebus non ſatis aequa meis.
Quae ſit amara licet, miſeroſque exerceat artus,
Conſtanti tamen eſt non metuenda viro.
Quo fit, ut aequo animo patiar, mihi quicquid acerbum
Fatali attulerit tertia parca manu.
Nos vero quanti facias, oſtendis aperte,
Cum porgas nulla noſtra petita mora.
Signia, quem nuper tibi commendavimus, en jam
Quae Puer abſtulerat, rettulit arma domum.
Illum ego vix iſtuc iter intendiſſe putabam,
Cum miſſas abs te reddidit ipſe notas.
Si paribus nequeo meritis contendere tecum,
Et tua quas poſcunt facta referre vices,
Me tibi polliceor memorem fore, juſſa nec ulla
In te animum poterunt eſxuperare meum.

HORTORUM HERCULIS LAUS

INTRA PARIETES PALATII.

PONERE templa Deis, circundare moenibus urbem
Regia depoſito tecta novare ſitu,
Egregiam magnis abſolvere ſumtibus arcem,
Cum certo immenſum fine careret opus,
Tot veteri ornamenta foro praebere, novumque
Addere, & innumeras aedificare domos,
Sternere noſtra vias ad commoda, cingere muro
Paſcentes intus lata per arva feras,
Claudere victurum ſpacioſo gurgite piſcem,
Abdita ſuſceptas qua via ducit aquas,
Aggeribus montes planum ſimulare per aequor,
Siccatos junctis bobus arare lacus,
Plaudenti populo fontes aperire ſalubres,

Quos

Quos operoſa vagi vena liquoris agit,
Magnum, & difficile eſt moliri tanta repente,
Totque animum curis implicuiſſe ſimul.
Haec & plura tamen noſtri admiranda peregit
(O rem incredibilem) tam cito cura Ducis.
Nunc hortos etiam Alcinoi, & pomaria Cyri,
Exſuperant una nata vireta Die.
Nulla fere aut grata eſt oculis, aut fertilis arbor,
Quam non his poni juſſerit ipſe locis.
Candida morus adeſt, & quam mutavit amantum
Sors fera, quae miſeri ſigna cruoris habet.
Dulcia pallenti ſub cortice grana ferentes
Hic ſuaves fructus punica Virga dabit.
Picenae ficus, & Iberis inſita pruna,
Stirpibus hic aderunt, nectareumque pyrum.
Mala quoque accedent generoſis matribus orta,
Et varios foetus ſylva benigna feret.
Quam juvat egregio criſtatas ordine buxos
Cernere? quae circum mollia prata virent?
Hic & coniferae tollunt capita alta cupreſſi,
Et ſuus eſt Lauris, juniperiſque locus.
Eſt & junipero ſimilis niſi diſtet odore
Arbos, a patrio dicta ſabina ſolo.
Sunt & Apollineam foliis imitantia laurum,
Quae ramos curvent medica poma ſuos.
Vitea marmoreis umbracula fulta columnis
Contiguis, jures aemula porticibus.
Regales thalamos pictura inſignit, & auro,
Artificum nulla ſedula turba mora.
Lucidus haec inter fons exilit, hydraque ſupra
Largas ſepteno gutture fundit aquas.
Dat ſonitus blandos lympha, & caelata cadentem
Excipiunt pario marmore vaſa lacum.

Ipſe operi intentis Princeps, & voce, manuque
Conſilium praeſtat, ſubſidiumque viris.
Compoſitumque nemus ſpecula dum ſpectat ab alta,
Mens hunc ſolamen non leve feſſa capit.
Magna tibi a ſuperis Dux eſt permiſſa poteſtas,
Cum nutu fiant iſta repente tuo.
Non tamen hos intra patitur tua gloria fines
Includi, caelo quae ſibi quaerit iter.
At pacis leges, & bellica noſcere jura,
Et certum in cunctis rebus habere modum,
Juſtitiamque ſequi, nec vertere terga minaci
Fortunae, laus eſt Hercule digna Duce.

IN LAUDEM FLORENTIAE.

TYRRHENI Colles, & frater Thybridis Arne
Inclyta tot claris Urbs habitata viris,
En ego vos iterum poſt bis ſex conſpicor annos,
Laetitiamque animus vix capit ipſe ſuam,
Neſcio quid me dulce tenet, mentemque pererrat.
Dum patriae video tecta ſuperba meae.
Turribus his priſci cum delegere parentes
Auſpice felicem hunc relligione locum,
Acer Feſules habitabat Strozus in oris,
A quo ſtirps primum Strozia dicta fuit.
Illum & divitiis & robore corporis inter
Finitimos, clarum fama fuiſſe refert.
Hunc placuit ſocium magnis admittere coeptis,
Atque opibus juvit conſilioque viros,
Prima fluentinae mox fundamenta locarunt
Urbis, & has ſedes incoluere ſimul.
Ergo meae gentis non haec ſine coepta labore
Moles, Hetruſco jura datura ſolo,

Cu-

Abſuerim, haud ideo eſt nunc mihi cara minus.
Parcite cognati, veteres ignoſcite amici,
Queis cum vix una poſſumus eſſe die.
Quippe ego Romana rediens legatus ab urbe,
Cogor ad Eſtenſem nunc properare Ducem.
Tempus erit, quo vos, & moenia cara reviſam,
Si dabitur vita liberiore frui.

PRO BORSIO.

AUREA fulſerunt te Principe ſecula Borſi.
Teſtantur patriae te pia facta patrem.
Virtuti imperium ſi par tibi fata dediſſent,
Tot meritis unus vix ſatis orbis erat.

PRO TOBIA VERONENSI.

DUM canit horrendi, Martis fera bella Tobias,
Perſephone praeſtans invida rupit opus.
Et praeco inſignis rerum Siſmonde tuarum
Occidit ante diem, mors ea facta tua eſt.
Vos decuit muſae ſacro ſuccurrere nati.
Ille ope Phoebe tua vivere dignus erat.
Sed tamen & luctu veſtro, lacrymiſque Minervae
Pegaſeas undas intumuiſſe ferunt.

PRO GUARINO VERONENSI.

HUNC tibi conſenſu tumulum Ferraria magna
Pro meritis poſuit clare Guarine tuis.
Tu pater eloquii, geminae tu gloria linguae.
Praecipuus juvenum tu moderator eras.
Te Duce noſtra vigens ſtudiis florentibus aetas,

Pierio priſcis certat honore viris.
Nec Verona minus tali ſe jactat alumno.
Quam veteres celebri nomine tollit avos.
Primus & extremus te noverat orbis, & ultra
Humanum virtus ſe tulit iſta gradum.
At nos hic ſenio reſolutos condimus artus.
Candida ſidereas incolit umbra domos.

JOANNIS JOVIANI PONTANI CARMINA.

AD NIC. MARIAM BUXETUM DETESTATIO MILITIAE HUJUS AEVI.

CASTRA ſequi, laudemque injuſtis quaerere ab armis.
Hoc eſt aeterno bella movere Jovi.
Militiae quondam partes ac jura fuerunt.
Tutari patriae dulcia tecta ſuae:
A ſociis arcere minas; pepuliſſe tyrannos,
Hoſtis & incurſus continuiſſe vagos.
Hinc Decii, forteſque Fabi, clarique Metelli.
Ac lethum Paulli, Scipiadumque decus:
Cannarum hinc tumuli, caeſoque dracone ſuperbus
Regulus, ac duri Cimbrica palma Mari.
Hinc pontem fregiſſe ferox ſua nomina Cocles
Jactat & exuvias Coſſus ab hoſte refert.
Atque alius victo redit in Capitolia Gallo,
Et ſpolia antiquo reddit opima Jovi.
Ille triumphatis praeſcribit jura Britannis,

Et

Et Rheni tumidas ponte refringit aquas.
Ille etiam rubri penetravit ad aequoris undas,
Et victor primus Parthica ſigna fugat.
Hic Dacas, Cilicemque ferum, Poenumque rebellem
Ducit victrices candidus ante rotas.
At nunc quid bello petitur, niſi praeda? nec hoſtem,
Sed ſocium vita eſt expoliaſſe decus?
Hinc Mauri nos claſſe premunt, hinc Turca fugaci
Vectus equo, & Scythici caſtra cruenta ducis.
Nos tamen in ſocias ferrum convertimus urbes,
Et de cognato ſanguine praeda juvat.
Quid miles pretio? quid mercenarius enſis,
Dignum Romana laude fideque dabit?
Exceſſiſſe acie pulcrum eſt, ubi dextera ferrum
Abjicit, atque auro tela repulſa cadunt.
Non jaculis, aut enſe ferox victoria, verum
Infami quaeſtu bellica palma venit.
Aurum per medios deducit ſigna maniplos.
Amiſit partes Mars ferus ille ſuas.
Ipſi ductores pretio ſua praelia vendunt,
Et cedunt pretio caſtra fideſque ducum.
Hinc mihi Pierides ſtudium, ſacroſque colendi
Vates, deliciis nomina grata meis.
Hinc nobis, Buxete, decus, laudemque paramus:
Pro caſtris Helicon, pro duce Muſa mihi eſt.
Nec tu non primae juvenis cum flore juventae
Arma capis, patria pulſus ab ipſe tua.
Deſeris Italiam, pronoque per aequora curſu
Heſperios portus, littora Ibera petis.
Illic quum geminos ageret diſcordia reges,
Foviſti partes ſtrenuus enſe tuas.
Mox contra flavos direxti tela Britannos,
Quum premerent forti Gallica regna manu.

Ocia nunc Muſaeque juvant, dulceſque receſſus,
Et ſcripta antiquis carmina docta viris.
Hoc ſapere eſt Buxete; frui melioribus annis,
Cumque libris fieri carminibuſque ſenem.
Caſtra alios ac bella juvent: nos laeta colamus
Ocia, & Aoniae fila canora lyrae.
Vita bonum commune quidem eſt: bene vivere ſolus
Novit, qui ingenii dona beata colit.

EXSULTATIO DE NATO FILIO.

ITE procul curae inſomnes; ſint omnia laeta:
Cretenſi lux haec more notanda mihi eſt:
Ite iterum curae inſomnes, procul ite dolores,
Fulſerit haec nitido ſidere fauſta dies.
Qua mihi vitales genitus puer exit in auras.
Spargite nunc variis atria tota roſis.
Spiret odoratis domus ignibus, aemula lauro
Myrtus adornatos pendeat ante lares.
Ipſe Deos ſupplex tacita venerabor acerra,
Et reddam ſacris debita thura focis.
Sancte Geni, tibi ſollennes proſtratus ad aras
Fundo merum, & multo laurus in igne crepat.
Vota manent: ſua ſigna Deum teſtantur, & omen
Clara dedit celeri flamma voluta gradu.
Ipſe & pacato movit ſua vertice ſerta,
Et fragilis cecidit crine decente roſa.
Ipſe manu rata ſigna dedit, tu ſidere dextro
Edite, felices exige, nate, dies.
Produc fataleſque colos; & longa ſororum
Stamina, dent faciles in tua fila manus.
Speſque patris matriſque auge, ſupereſque parentum
Vota, fluant Hermus, Lydiaque unda tibi

Augu-

Auguror, & patrias olim meditaberis artes,
Et ſtudia antiquae non inhonora domus.
Sive tibi carmen placeat; tibi carmina Muſae
Dictabunt; virides cinget Apollo comas.
Sive vias caeli, rerumque exquirere formas,
Naturae & cauſas explicuiſſe juvet:
Seu leges, atque arma fori; te proxima poſſunt
Exempla, & patres exſtimulare tui.
Sed neque te vel dirus amor, vel gloria belli
Vicerit, ut matri ſis timor uſque tuae.
Illa graves tulerit decimo jam menſe labores,
Languida de partu mortua pene mihi.
At tu jam tanto mater defuncta periclo
In nova praeteritos gaudia verte metus.
Jam mater; quid matris opus, quid munera differs?
Cur non materno jam cubat ille ſinu?
En patri ſimiles oculos, en mater in ore eſt,
En vultus, in queis ſpirat uterque parens.
En ſenii ſolamen adeſt: vos ſpargite multo
Flore domum, & thalamis lenior afflet odor.

EXSULTATIO OB FACTAM PACEM.

A Bellis ad rura, & ad ocia grata Camoenis,
Ad rura a bellis uxor amata vocor.
Pax Cererem redditque agris, redditque Lyaeum
Et ſua cantantem Maenala Pana ſonant.
Pace ſua laetatur humus, laetantur agreſtes,
Et reſides ſomnos oppida feſſa trahunt.
Jam facilis, jam laeta choros per prata Voluptas
Ducit, & optatus rura reviſit Amor.
Rura Venus, ruriſque colit nunc urbe relicta
Laeta domos? laetus Numina ſentit ager,
Ergo alacres ſequimurque Deos, & rura petamus:

Huc propera, mecum huc uxor amata veni.
Huc veris te poſcit honos, ruriſque beati:
Et rure, & verno tempore natus amor.
Urbis opes valeant: nil rure beatius ipſo:
Rura placent Muſis, rura Diana colit:
Rura fides habitat, habitat probitaſque, pudorque,
Et fas, & pleno copia larga ſinu.
O valeant urbes: quid enim felicius agro?
Hic tecum, hic conjux vita fruenda mihi eſt.
Ocia ſi capiant animum, quid mollius umbra,
Fundit quam multa populus alba coma?
Quam platanus, platanoque decens interſita laurus,
Et quae tam raro Citrus honore viret?
Sin labor; ut teneras hortis diſponere plantas,
Ut juvat humentes carpere mane roſas!
Aut tenuem e foliis laribus pinxiſſe coronam,
Et ſua triticeae ſerta parare Deae!
Nunc legere arbuteos foetus, montanaque fraga,
Aureaque in calathis mala referre novis!
Nunc agere incautas in retia caeca volucres!
Mille modos placidi rura laboris habent.
Sed conjux tua vota moror: laqueata valete
Et tecta, & thalami: te duce rura peto.
Dux conjux, cui cana fides, cui caſtus eunti
Haeret amor; ſequimur teque, tuoſque Deos.
O mihi poſt longos tandem conceſſa labores,
O mihi non juveni, ſed data forte ſeni:
O mentis tranquilla quies: ſalvete beati
Ruris opes: ſalve terra habitata Diis.
Terra bonis foecunda, & nulli obnoxia culpae.
Hic tecum, hic conjux vita fruenda mihi eſt.
Iſta ſenes nos fata manent: mors uſque vagatur
Improba: vis mortem fallere vive tibi.

TUMU-

TUMULUS ANTONII PANHORMITAE.

SISTE hoſpes, fas eſt cantus audire Dearum.
Grata mora eſt: Muſae nam loca ſacra tenent.
Antonii monumenta vides: hinc templa frequentant.
Ille fuit ſacri maxima cura chori.
Illum ſaepe ſuis medium ſtatuere choreis.
Duxit compoſitos arte decente choros.
Saepe lyram ceſſit Clio, ceſſere ſorores;
Concinuit teneros voce manuque ſonos.
Extinctum flevitque Aon, flevitque Aganippe.
Sebethus miſeros egit in amne modos.
Sirenes quoque de ſcopulis miſerabile carmen
Ingeminant: planctu littora pulſa ſonant.
Pierides triſtem ad tumulum fudere querelas,
Pierides paſſis poſt ſua terga comis.
Hinc crevit deſiderium, nec cura receſſit
Vatis, & extincto vate remanſit amor.
Conveniunt nunc ad tumulum, celebrantque choreas,
Et memorant luſus, magne Poëta, tuos.
En audis ſonet ut lenis concentibus aura?
Ut ſonet appulſu concita terra pedum?
Haec vati memores Muſae poſt fata rependunt:
Carminis hoc meritum eſt, num ſatis? hoſpes abi.

TUMULUS FORTUNATI.

NON amplae mihi divitiae, non regna fuere,
Sed modicus cenſus, ſed ſine labe toga.
Nec mihi regales epulae, ſed victus honeſtus.
Menſaque communis, reſque modeſta domi.
Cultus ager, ſine lite domus, ſine ſorde ſupellex,

HYMNUS AD CHRISTUM REDEMPTOR.

ANNUA jam redeunt patriis ſollennia ſacris,
Et ſanctum referunt tempora certa diem.
Luce bona ſimul & pueri, innuptaeque puellae,
Et ſimul aſſidua femina virque prece,
Sollennes celebrate aras, atque ore favete,
Omnia & aeterno ſint operata Deo.
Prodeat in Tyria ſpectandus veſte ſacerdos,
Et chorus ornatas prodeat ante fores,
Velatique comas, albenti & tempora lino
Decantent laudes, maxime Chriſte, tuas.
Te ſors dura hominum generis, te cura laborum,
Immitem ſubiit mortis obire vicem.
Dum trunco affixus, cuneo & trajectus aheno,
Senſiſti geminum vulnus utraque manu.
Senſiſti fixas ferrato ſtipite plantas,
Horruit & capiti ſpina cruenta tuo,
Et cava mortiferum ſenſerunt ilia ferrum,
Vulnere manavit lympha merumque tuo.
Quumque ſitim cuperes noſtra ſedare ſalute,
Torpuit arenti fellis in ore ſapor;
Atque inter geminos crudeli ſorte latrones
Judaeae pateris jurgia ſaevitiae.
Donec defeſſo decedens ſpiritus ore
Clamavit, quid me deſeris alme pater?
Hinc manes, Stygioſque lacus, loca terra ſilentum,
Infernique ſubis limina dura fori.
Inde pias animas, & caelo digna ſecutas
Eximis, & ſuperum munera ad alta vocas.
Tertia lux aderat, roſeo quum laetus Eoo
Surgis, mox victor ſidera clara petis.

Con-

Conſortemque capis patrio cum Numine curam,
Dextra tenens, dextro conſpicuuſque loco.
Hunc igitur precibuſque piis, ſtudioque fideli
Placemus, noſtro det veniam ſceleri:
Det pacem; mala cuncta procul, morboſque famemque
Pellat, & hoſtiles det ſuperare manus.

HYMNUS DE CHRISTO.

QUOD varios pelagi caſus, caelique procellas
Exſuperas, nanti quod data terra tibi eſt,
Oceanique minas, & ſaeva pericula vincis,
Ac ſoſpes patrio redderis Eridano:
Haec Pari non ars ipſa hominum, aut ſollertia praeſtat,
Non labor; at ſummi cura paterna Dei.
Quantula enim noſtra eſt induſtria? cede periclis,
Cede mari, Chriſti ni pia dextra juvet.
Ille regit noſtros curſus, auramque miniſtrat,
Sollicitaeque offert littora tuta rati.
Quare age thure pio, flammiſque liquentibus aras
Ipſe adole, & plena fumet acerra manu.
Adſtet conſpicuus Tyrrhena in veſte ſacerdos,
Et peragat patriis myſtica ſacra modis.
Pax homini, tibi Chriſte decus, tibi gloria ſoli,
Vera Dei proles, verus & ipſe Deus.
Te colimus, tibi divinos largimur honores.
Et nomen felix ducimus eſſe tuum.
Tu caſus, tu damna levas, tibi munera terrae,
Et tibi ſe fontes, ſe tibi debet aqua.
His igitur placare Deum, ſuperoſque memento,
Et ſua cum pura ſolvere vota prece.
Nil auro Divis opus eſt, ſed mente fideque,
Haec nos una homini copulat, illa Deo.

HY-

HYMNUS AD D. AUGUSTINUM.

DET monſtra infelix tellus Maſſyla, det angues,
Et Libycas pariat Punica terra leas;
Areſcant ſitiente ſolo Naſamonica teſqua,
Funditet & nullas gleba Libyſtis aquas:
Dum tamen, Auguſtine, tuos non deneget ortus,
Laeta ſit & partu Cinyphis ora tuo.
Unde illi invideant & felix Lydia, & arva.
Quae rigat auriferis lucidus Hermus aquis.
Invideat latis audax Germania terris,
Dives aquis, populis dives & ipſa ſuis.
Nil etenim, Auguſtine, tulit te te Africa majus,
Cujus ab ingenio creverit alma fides.
Per te relligio Chriſti ſtetit integra, per te
Divinae legis myſtica operta patent.
Tu ſecreta Dei pandis; tu tradita patrum;
Et verum, & pietas manat ab ore tuo.
Et pater, & patriae princeps, & maxime rector,
Accipias voces dive benigne meas.

DE FEDERICO REGE.

QUID, quod plus ſolito ſerenus aër?
Et gramen viret, & niteſcit arbor?
Quid quod plus ſolito canunt volucres?
Cantant gutture leniore cycni?
Progne & lugubrioribus querelis?
En ſpirant Zephyri ſalubriores,
Et rident pelago ſilente arenae,
Nullo & murmure littus obſtrepeſcit.
En ducunt choreas per arua Nymphae,

Et

Et Muſae numeris ſuis ſequuntur;
Ipſa & balnea perſtrepunt cachinnis.
An non adveniente Federico
Ipſa & balnea molliter cachinnent?
Ipſa & littora ſuaviter ſuſurrent?
Agnoſcunt Dominum ſuum lacunae;
Regem balneolae ſuum ſalutant;
Adſurgunt & hero ſuo liquores.
Adventat decus elegantiarum,
Et flos advenit omnium leporum.
Illum delitiae ſequuntur omnes,
Illum munditiaeque gratiaeque,
Et ſceptro ſpecies potente digna.
Ne ne balneolae timete, ne ne
Mavortem ſocium, truceſque vultus.
Mavortem ſocium nihil timete.
Juſſa nam timet ipſe Federici,
Paretque imperio, & veretur illum.
Felices Domino lavante thermae,
Felices & hero jocante Bajae.
O felix ſpatiante Rege littus!
Myrti dicite, io, euge Federice:
Euge, io, canite, euge Federice.

DE ORPHEO NAVIGANTE.

JAM maris vaſti penetrabat undas
Pelion linquens Pagaſaea pinus;
Jamque canebant agitata longis
Aequora tonſis;
Cum pius Phoebi citharam ſacerdos
Monuit, inſigni cecinitque plectro,

Et

Et parem nervis, parilemque voci
Commodat ictum.
Ilicet Nymphae vitreis ab antris
Efferunt udum caput, ac per undas
Implicant, certo choreas ſecutae
Cum pede cantum.
Ilicet Triton reſonante ab ore
Buccinam intendit, ſcopuloque ab alto
Adſonat vati: pecus omne ſumma
Ludit in unda.
Ipſe ſtans celſa modulanſque puppi,
Purpura inſigni & venerandus oſtro
Ad decus famae ciet, atque honorum &
Praemia laudum.
Fortibus ſummi meritum triumphi,
Fortibus primae meritum coronae,
Fortibus plauſum populi, patrumque
Publica vota.
His & aeternum decus adparari
Morte praeluſtri, his titulos ſepulcri
Signaque & Divis ſolitos honores.
Templaque & aras.
Hic & Heroas juvenumque primos
Cerneres pontum validis lacertis
Verrere, atque aeſtus pelagi, & minaces
Vincere fluctus.
Tum ſacer vates graviore plectro
Suſcitans, hoc hoc agite o juventus,
Hoc Deum proles agite & volenti in-
cumbite dextrae.
Vos labor primos hominum, Diis vos
Reddet aequales labor, & Deorum
Coetui adjungens, ſola ſalſa ponti

Subdet,

Subdet, & auras.
Hoc virum virtus, ſtudiumque pulcri
Poſcit, hoc illud decus, hoc & illi
Qui Jovi vos conciliant honores,
Famaque poſcunt.
Talibus vates. ibi cepit ingens
Ardor heroas: novus urit ignis
Pectora: accendit nova flamma aventes,
Et nova virtus.
Thraciae haec olim citharae ad labores
Ac decus, vis enituit canendo,
Quae quoque & vati fuerit quaerenti
Ditis ad antrum.
Hoc refer mecum, o Erato, per umbras
Sola namque illum comitata, ſola
Illius luctum, & lacrimas levabas
Pectine mulcens.
Mitis o mundi Dea nigricantis,
Supplices ad te lacrimas profundens
Adſum, o & vocẽ & lacrimas precantis
Accipe vatis.
Cui & inferni patuere poſtes
Sponte; recluſis foribus canenti
Ceſſit intranti canis & remiſſos
Cluſit hiatus.
Conjugis manes repeto, relicta
Luce ſub terram in tenebras profectus.
Conjuge & pro te, tenebris relictis,
Aethera conjux;
Et diem & caeli jubar, & vagantes
Siderum ac Solis radios petivit,
Teque & incepti pretium, & laboris,
Praemia portat.

Fas

Fas tibi, & vatis pietatis ergo
Reddere adſueti pretium laboris;
Fas mihi optatum pretium referre, &
Praemia cantus.
Te Deam caeli canimus, te & imi
Sceptra geſtantem ſolii, te & udi
Fluctuum campos moderantem, & almae
Ubera terrae.
Ipſe ego & Divum atque hominum ſacerdos
Hoc peto, & juſtum peto: pro recepta
Conjuge, & ſilvas moveam, & profundi
Marmora ponti.
Sacraque & ritus ſtatuens, dicabo
Templa, & aeternum metuentur arae
Supplicum votis venerandae, & aurea
Thuris acerra.
Interim manes ſtupuere cantu:
Diſtulit poenam rota; conſtiterunt
Saxa: non angues cruciant, nec hydrae.
Uvlturiive.
Hic & umbrarum chorus, & ſilentum
Vulgus, oranti adfremuere, & una
Plaudit heroum genus, & canoro
Conſonat ore.
Diva tum triplex modulante cycno,
Plebis & plauſu, memor & rapinae,
Et thori, & lucis memor, in favorem
Ora reſoluit.
Duc age, o vates, ſociam, & laborum
Quem petis finem cape: fas ſit illam
Regredi tecum, modo ne inſequentem
Lumina flectas.
Rurſus umbrarum adfremuere turbae;

Rurſus

Rurſus & vates citharam reſumit,
Ipſe praecedens: ſequitur canentem
Aurea coniux.
Vulgus atque una attonitus ſilentum,
Monſtraque & manes trepidi gigantũ,
Quos triceps cuſtos procul allatratu
Arcet ab amne.
Heu, quod obſtantes pelagi fragores,
Quodque diſcordes Erebi tumultus,
Quod poteſt dirarum animos ſororum
Flectere carmen:
Non poteſt triſtes oculos puellae,
Pectus aut trux virginis, aut ſuperbae
Foeminae immites animos, feramque
Vertere mentem.

TUMULUS JULII PARMERII.

DA tuba terribilem ſonitum, tubicenque canoro
Aere tona: hos tumulos clangor & arma decent.
Julius hic ſitus eſt: ſtrepitus juvat, & juvat enſis
Clavaque; Parmerium bellica parma juvat;
Gaudet & his heros concentibus. en canit Umbra
Ad numeros placide ducit & ipſa choros.
Nunc rurſum turba, nunc tubicen fera murmura rurſũ,
Ingemina; ut cantu marmora pulſa ſonent.
Hic honor ad tumulos, magnorum & ſaxa virorum
Debetur: Martis ſic ſtata caſtra jubent.
Pro patria hic cecidit. Manes gaudete ſub urna;
Gaude & Judaeis Umbra ferox tumulis
Pro patria occubuit pugnans, muriſque cruento
Dum ſtetit hoſtiles reppulit enſe manus.

Nos

Nos plauſum ſimul ore damus, ſimul aere canoro
Parmerio: haec patrius munera poſcit amor

DE MUNDI CREATIONE.

HOC caelum, quaeque obliquo diſtincta meatu,
Sed certa ferri ſidera lege vides,
Telluremque ſuo libratam pondere circum
Quam cingit rapidis Ennoſigaeus aquis,
Spirantesque avium tractus, fuſumque ſuperne
Qui cuncta aetherio temperat orbe Jovem,
Antoni, Deus e nihilo, Deus omnia fecit,
Et formam rebus juſſit adeſſe ſuam.
Ipſe ſua voluit caelum ſplendeſcere luce,
Et terras caecae noctis habere vicem.
Accendique diem claro de lumine Solis,
Solis & auratum mane redire jubar:
Alterniſque atrae lucem concedere nocti,
Temporaque hinc ſpatiis ire coacta ſuis.
Biſſeniſque vagum complevit menſibus annum,
Ut tamen in partes quatuor omnis eat.
Namque ubi Sol noſtro languens ſeſe eripit orbi,
Frigidaque hibernis terra madeſcit aquis;
Saevit hyems incana gelu, riget horrida bruma,
Tum tellus foetu concipit aucta ſuo.
Aſt ubi vicinos Sol ipſe recurrit ad ortus,
Excurſu & parili noxque dieſque ruunt,
Terra ſuas oſtentat opes, & divite gemma
Veſtit pampineas vitis opaca comas.
Ludit & in pratis varium ver, ludit & aeſtas
Torrida, & ipſa ſuas ſedula curat opes.
Haec frumenta manu legit, haec & in horrea condit,
Quae mox verſa rotis parca colona terat.

Hinc cedente die, longe & creſcentibus umbris,
Autumnus pleno fert ſua poma ſinu,
Ac Bacchum plenis docet expumare lacunis,
Sordida dum celeri ſub pede muſta fluunt,
Sic ſtatuit pater ipſe hominum, rerumque creator,
Annua perpetuas munera obire vices.
Quin etiam, ſpirare ſuis de partibus orbis
Ventos, & patriis nomen habere locis.
Namque ab Hyperboreis Aquilo volat impiger antris,
Excitat oppoſitas humidus Auſter aquas.
Eoos ciet Eurus equos: at mitis ab orbe
Heſperio Zephyrus lenia flabra movet.
Idem etiam occultos alta ad convexa vapores
Suſtulit, ac terrae vertit in auxilium.
Unde cadunt imbres, & matutina pruina,
Et grato ſitiens rore madeſcit humus.
An non & ſummo decurrunt vertice rivi,
Et cava muſcoſis fontibus antra ſonant?
Unde ſitim pecudeſque, feraeque, armentaque ſedent,
Temperet & riguum caerula lympha ſolum.
Quando aër quoque nimboſis incluſus in antris
Cogitur in laticem frigore, & inde fluit.
Ne qua igitur mundi regio vacet, implet & undas
Piſcibus: hi campo liberiore natant,
Ac gregibus variis ingentia regna frequentant,
Nullaque ſquamigera gente lacuna caret.
Alitibuſque auras, celebrat, quibus indit & alas,
Et corpus penna verſicolore tegit
Induit & virides frondenti gramine colles,
Et nemora arboreis velat opaca comis.
Communem & ſtatuit victum e felicibus agris,
Pomaque frugiferis ducit ab arboribus.
Quo varios uſus homini, pecorique avibuſque

Prae-

Praeſtent, ac vitae munera certa ferant.
Et jam quadrupedes foetus, obnoxia morti
Corpora, plumoſos ediderat que greges:
Tum deus humanos effingere molliter artus,
Membraque de tenui ducere coepit humo.
Cunctaque formarat ſtudio perfecta magiſtro,
Quaeque artem referant, artificemque ſuum.
Mox auram aethereo de fomite fundit in illum:
Vive, ait, & proprio membra labore fove.
Arcanae mox partem animae de mente profunda
Libat, & erecti ſpirat in ora viri.
Dux, ait, haec hominum generi ſit, & ipſa magiſtra,
Et ſua conſtituant hac duce, ſeque regant.
Hac validas ponant urbes, hac jura notarint,
Hac coetus pariter, juſtitiamque colant.
Conjugium ac thalamos diſcant ratione magiſtra
Servare, & caſta relligione focos;
Atque artes tractare bonas, & munera caelo
Digna, & qui factis nomen ad aſtra ferant.
At poſtquam immemores recti caeleſtia dona
Vertere in facinus, perniciemque ſuam;
Immemoreſque boni, ſpreta pietate fideque,
Admorunt proprias in ſua fata manus:
Graſſati & patrium in jugulum caedeſque ſuorum,
Miſcuerunt, Stygio pocula tincta lacu:
Inque virum ſaevit coniux, in pignora mater,
Pro ſcelus, ac miſcet faſque nefaſque furor.
Haec pater ut celſa miſerans proſpexit ab arce,
Siſteret ut ſceleri, criminibuſque modum,
Progeniem in terras ſummo demiſit olympo,
Quaeque hominis gereret munia, quaeque Dei.
Haec caeli ſecreta, & inenarrabile patris
Conſilium explicuit, quae bona, quaeve mala;

Quae vitanda homini, quae vitae forma ſequenda;
Quaeque bonos maneant praemia, quaeque malos.
Denique mortem obiit, vitae dum conſulit ipſi,
Atque ſuo in caelum ſanguine fecit iter:
Quo magis admiranda Dei clementia ſumma eſt,
Cui fumet quicquid terra Sabaea ferat,
Quicquid Arabs: date thura focis, coſtumque cremate,
Et date cum multa thurea dona prece.
Pieriosque adhibere modos, & carmina, dignum eſt,
Antoni, quae te gloria prima manet.
Hyblaeo cui rore madent & labra, cui amnis
Caſtalius pleno gurgite fundit aquas,
Nyſaeique haerent inſigni fronte corymbi,
Et coma Pieria fronde revincta viret,
Felicemque animum paſcis pietate, fideque,
Nilque tibi vera eſt relligione prius.
Quodque decet, bona cuncta Deo, juſtumque, piumq;
Adſcribis, noſtrae ſed mala nequitiae.

TUMULUS INERTISS. HOMINIS, HYAE.

NUNQUAM vixit Hyas: ſed Hyas hoc cõditur antro.
Si vixit numquam, mortuus eſt nec Hyas.

TUMULUS MENDICI.

NULLA mihi vivo domus; at nunc certa ſepulto eſt.
Vitaque paupertas; mors mihi divitiae.
Vita, mihi exſilium; requies at certa, ſepulcrum.
Nudus eram vivus: mortuus ecce tegor.

AD

AD UXOREM, ET LAURUM OLIM AB ILLA SATAM.

CUM lauru tibi creſcit honos: tua nomina laurus
Servat. nam dextra crevit & illa tua.
Officium officio penſat gratiſſima laurus:
Quique fuit Nymphae nunc quoque ſenſus adeſt.
Cum lauru mihi ſalve iterum, coniux mea: ſalve
Conjuge cum, Laurus, fronde & honore pares.
Ite pares, nomenque una ſervate per aevum;
Et mihi frondenti ſerta parata coma.

CONQUERITUR CUM AMARACO DE MORTE FILII.

FOLIIS quid, heu, Amarace, heu, quid floribus
Nudata ſqualles moeſtula? heu, quid languida
Arentibus comis & horrido ſinu,
Lugubri amictu fles miſella Amarace?
An ipſa flere arentibus potes genis?
Deeſt enim qui te rigabat, & tuus
Colonus ille, argenteo qui vaſculo
Liquorem amatum funditabat, & tuam
Sitim levabat, & levabat ſideris
Rabiem Erigonii. at ego, miſella Amarace,
Tuam ſitim meis levabo lacrimis.
Cape has miſella lacrimas moeſti ſenis.
Memor oſculorum, en, illius fundo tibi
Tercentum amaras pro liquore lacrimas:
Pro rore guttas ſalſulas totidem alteras;

Amplexuum memor alteras, & illius
Memor leporum & comitatis blandulae.
His tu vireſces, & novam indues comam,
Beata Amarace; foliis novis novo
Amictu! at ergo ſenex ſubareſcam miſer
Humore vacuus; ſaepe velut in arido
Aſparagus igne adflatus, aut de fulmine
Tacta arbor; elangueſcit a radicibus.

HIPPOLYTI CAPILUPI CARMINA.

AD BERNARDUM TASSUM.

JAMPRIDEM cupio ſplendida Caroli
Noſtris acta modis dicere Caeſaris:
Sed me copia rerum,
Et pondus grave territat.
Illarum cumuli ſe mihi plurimi
Scribenti objiciunt; non ſecus, ac cita
Nautae puppe ſecanti
Aegaeum mare, Cyclades.
Non haec conveniunt alta rati vada
Noſtrae, remigiis omnibus & duce
Nudae, queis ſine tantos
Aeſtus ferre nequit freti.
At quis navigii non rudis artium
Se tam vaſta maris mittet in aequora?
Nec non undique laudum

Ma-

Magnis turgida fluctibus?
Quis digne poterit carminibus ſuis
Tanti facta viri ſcribere? bella quis
Tot confecta? ſubacta &
Regum colla potentium?
Adjunctaſque novas imperio inſulas,
Extremi poſitas Oceani in ſinu?
Quas numquam prius audax
Mercator tetigit rate:
Quis nuper domitos vix ſuperabiles
Thracas? Pannoniae qui intulerant metum,
Quos hic nomine, & ipſo
Adventu dedit in fugam.
Ut venti validi vis facile aere
Collectas nebulas diſſipat, & diem
Caelo invecta ſereno
Sublatam ex oculis refert:
Caeſar non aliter conſilio potens
Confertas acies diſpulit hoſtium;
Diſcuſſitque tenebras
Lucem Pannoniae inferens.
En ſoles populis ſplendidius nitent,
En jam fertilior frugibus eſt Ceres;
Pleno & copia cornu
Apparet jam opulentior:
En Pax arva colit, laetaque fauſtitas,
Securuſque humili ruſticus in caſa
Fretus farris acervo
Large ligna foco ingerit;
At ſi illum agri odium mox capit, atque amat
Mercator fieri, per maria ultimos
Navi accedit ad Indos
Currens tutum iter & patens.

Nec ſolus rapidas incidere in manus
 Praedonum timet; his non freta libera:
 Proh Dii, quot bona nobis
 Virtus Caeſaris attulit.
Terras moribus ornavit, & omnia
 Eraſit ſcelera, & frena ſuperbiae
 Injecit; docuitque
 Juſtum quid deceat virum.
At quo oblita tui Muſa ruis procax?
 Quin inflata nimis contrahe, contrahe
 Vento vela potenti, &
 Te in portum cita conjice.
Culte o Taſſe tui viribus ingeni
 Apta eſt materia haec atque laboribus;
 Te non ſplendidus ordo,
 Non facundia deſeret.
Ergo ſume tibi ſcribere Caroli
 Laudes, & numeris non humilis lyrae
 Famam extendere, tellus
 Quacumque eſt habitabilis.
Dum immortale ſonans grandia concines,
 Exacto tenui pumice carmine
 Noſtri ruris honores
 Et fontis referam ſonum.

AD JULIUM FELTRIUM
URBINATEM CARDINALEM.

O Nate Regum robore fortium
 Quid Jule ruri tempora conteris?
Non prata vernant nec ſalubres
 Nunc Zephyri volitant per auras.

Non

Non falce fruges agricolae metunt
  Quas terra magno faenore reddidit,
  Nec praebet Autumnus racemos
  Bacche tuum generoſe munus.
Quin linquit agros atque hyemem fugit
  Turpem atque inertem, tu ſimul aufuge
  Viamque mutatis vorato
  Vectus equis celerive curru.
Et te ſuetis redde negotiis
  Te digna curans, jam ſatis otio
  Mentem levaſti, jam laborum
  Illa feret recreata pondus.
Gonzaga qui te diligit unice
  Vinclo coactus ſanguinis, & tua
  Virtute victus, te trahentem
  Increpat uſque moras & uſque.
Et Borromaeus, cui merito Pius
  Arcana credit digna ſilentio
  Rerumque habenas dat regendas,
  Te precibus revocat morantem.
Jam linque campos qui glacie rigent,
  Squalent & Euri flatibus horridi,
  Romamque praeclaram triumphis;
  Ver ubi perpetuum, redito.
Illam reviſes moenibus, & viis,
  Divumque templis atque palatiis
  Auctam ſuperbis, quae fuere
  Structa Pii & decorata ſumtu.
Illamque cernes legibus aureis
  Nunc conſtitutis tollere verticem.
  O nos beatos ter quaterque
  Quos Pius & Medicus gubernat.
Non alter illo juſtius imperat,

Nec

Nec Sol quid illo mitius aſpicit,
Seu promit ex undis Eois,
Sive diem Heſperiis recondit.
Quid jam moraris? hic quoque te jubet
Ad ſe reverti. non tibi temnere
Fas juſſa patris, cui ſuperne
Clave datum eſt reſerare Olympum.
E rure multas delicias licet,
Curiſque liber gaudia colligas,
Ex urbe Roma non minores
Percipies, mihi crede, fructus.
Si dulce ruri eſt nunc tibi devio
Sub ſolis ortus aut merulam, aut gruem
Vidiſſe, vel turdos edaces
Retibus implicitos doloſis,
At ſuave Romae purpureo tibi
Fulgore claro, cernere plurimos,
Quos ſpes fefellerunt honorum
Non ſecus ac laquei volucres.
Nec te pigebit, qui innumeris bonos
Virtuti amicus muneribus beas,
Spectare, qui, piſces ut hamo,
Sic avidi capiuntur auro,
Et te juvabit, qui placidum tenes
Portum, 'periclis jam procul omnibus,
Videre, quos fallacis Aulae
Aura vehit rapidas per undas.
Spectacla proſunt talia, quae docent,
Quam ſint inanes ſpes hominum, ſuas
Qui res ab omni parte iniqua
Hujus in arbitrio locarunt.

AD

AD ROMAM.

ERGO ego, qui a puero tot jam fugientibus annis
Roma tuo in gremio rerum pulcherrima vixi,
Jam ſenior numquam poſthac te lumine cernam?
Ergo ego, Tibri pater, patrio mihi carior amne,
Qui me poſt curas, & multa negotia laſſum
Saepe tuo leni recreaſti murmure, & unda,
Noſtra tuis numquam ponam veſtigia ripis?
Vitam ubi fingebam mihi feſſo aetate beatam?
Nec vos o ſeptem colles, hortique reviſam?
In quibus ipſe tener collegi ſaepe nitentes
Rore roſas, fecique novo de flore corollas,
Pigra gelu, & ſquallens alibi cum terra rigeret.
Non ager Aſſyrius vobis contendat odore,
Parthenopeque ſuis cedat beneolentibus herbis,
Ver proprios quando vobis conceſſit honores.
Nec veſtris fruar, o dulces ante omnia amici,
Amplius alloquiis? quibus olim incommoda noſtrae
Speravi demens leniri poſſe ſenectae.
O fortuna potens, ut nos ſpes ludis inani,
Cunctaque veloces (ſi vis) mutantur in horas.
Afer, & Hircanus Romam colit, & colit Indus,
Quique bibit Tanaim, quem ſaeva Britannia partu
Edidit, & Tauri qui natus vertice montis,
At nos, quos utero mitis tulit Itala Tellus,
Sedula quos veluti nutrix modo Roma fovebat,
Principibuſque viris caros, nullique moleſtos,
Cogimur heu miſeri obſcuris nunc vivere in oris.
Omnia prae Roma loca conſita nocte videntur.
Nec vos o Thermae, nec vos Capitolia, & alta
Templa Deum, nec vos aequata palatia Caelo

Viſe-

Viſere jam poſſum, ſparſus nunc tempora canis,
Quae toties ego ſum primis ingreſſus ab annis,
Et ſemper colui, & ſuſpexi veſter alumnus,
Munereque inſignis veſtro & decoratus honore:
Nec tua ſancte Pater quae nunc ſtruis ampla Theatra
Metiri licet his oculis, nec monte ſalubrem
Quam deducis aquam, nec ſacras quas Pius aedes
Ponis, & exornas fulgenti marmore, & auro.
Moenia quid referam? quibus Urbem providus auges,
Et quibus illa feros hoſtes circumdata temnit.
Quidve Piam memorem portam? quid ſtrata viarum?
Quid decora? uſque tuis quae ſumptibus adiicis aulae:
Me miſerum, mihi ſi numquam fas iſta videre,
Aeternumque tua cogor Pie luce carere,
Et Roma, praeter ſolitum quae pulchra renidet.
Illa tuis radiis, Patrum & perfuſa nitore,
Quos virtus cumulat donis, atque induit oſtro,
Emicat, atque Urbes ſuperat vi luminis omnes,
Sint licet illuſtres ſtudiis, armiſve ſuperbae,
Aurea ſic Phoebi reſtinguit ſidera fulgor.
Nos igitur, procul a Roma caligine merſi,
Ut lucem reddas, humili te voce precamur.
Ipſe, tuo ſancto adſpectu recreatus, & Urbis,
Si mihi permittes pedibus procumbere ſacris,
Intexam praeclara meo tua facta libello,
Ni renuis parvo deducta poemata verſu.
Fortior & rediens huc noſtro munere fungar
Aſſidue paſcens, & curans pervigil agnos,
Quos olim tua commiſit mihi magna poteſtas,
Cum Deus in ſumma merito te ſede locavit.

AD

AD ANTONIUM JANNOTTUM

EPISCOPUM FORLIVIEN.

JANNOTTE nullus quo mihi jucundior,
Qui temperare acerbitatem temporum
Tuo lepore & ſuavitate es efficax,
Fixaſque curas mente amici avellere,
Jam me reviſe; quid moraris amplius?
Siccae receſſit ſtella jam Caniculae,
Et blanda mordent leniter nos frigora,
Nec pulvere ullo ſordida aut luto eſt via,
At pulchra & ampla, parſque adhuc virentibus
Obtecta quercus hic & illic frondibus,
Nec obſtat ipſe cui libens obtemperas
Julus urbis lumen, atque orbis decus,
Quin te relaxes occupationibus,
Ut noſtri amoris perfruamur fructibus.
Ni me reviſes, jam furentem ſenties,
Paſſim & replentem voce campos horrida
Velut leonem, qui catello mitior
Ludit Piſauri cum puerulis, & ſilet,
Vincliſque liber ferreis & carcere
Non figit ullum dente duro aut unguibus,
At derelictus ſolus a turba fremit,
Caudaque terram ſaepius ferit ferox,
Irarum & aeſtu concitatus perfurit.
Amariorem non ſenectus me facit,
At ipſa ſolitudo, qua nil triſtius
Effudit una, quae intulit mortalibus,
Quicumque tentant noſtra morbos corpora:
Hic elegantes ſint licet multi viri,

Et

Et litterati & praediti virtutibus,
Queis cum libenter temporis partem tero
Sermone dulci, non tamen ſic intimus
Nobis eorum quiſquam, ut illi credere
Alta latentes mente ſenſus audeam:
Hoc eſſe videor mancus, & ſolus mihi;
At arcta noſtri ſic amoris vincula,
Quae nos peractis quinque luſtris vinciunt,
Tuique mores ſic meis conſentiunt,
Ut unus ipſe turba mi ſis maxima,
Vitamque tecum dulce ſit traducere,
Tibique noſtro corde preſſa pandere.
Quid in ſecundis eſt amico ſuavius?
Qui cum jocari, & perfrui poſſis bonis:
Quid rebus illo in aſperis optatius?
Qui aeque dolendo te dolentem leniat,
Tibique curas comitate exhauriat?
Exoptet alius plena farris horrea,
Et mille ſeptus ambulet clientibus,
Magniſque rerum copiis circumfluat
Auro & ſmaragdis impeditus tempora,
Jannotte tecum ſit mihi fas vivere,
Seu rure, laeto in otio, ſeu turbidos
Inter tumultus urbis, in negotiis.
Ubique nobis ſuavitatis plurimum
Adfert vetuſtas noſtri amoris mutui,
Et acta vita puriter procul dolis,
Et uſque riſus parte ab omni quaerimus
Jocis ſevera condientes & ſale,
Novique ſemper cauſa nobis gaudii eſt
Rerum memoria, quas ſimul tractavimus,
Nec non laborum, quos ſimul ſubivimus

Jactati ab aulae ſaepe nigro turbine,
Dum vecti eadem puppe in altum tendimus.

AD JO: FRANCISCUM PASQUALIUM.

AMICE candide & mihi cariſſime
Quem ſum fidelem expertus in periculis,
Meiſque rebus proſperis dulciſſimum,
Mihi videris omnibus beatior
Quicumque in urbe Paſqualine vivimus.
Praeſens & acta vita cognita eſt tua
Tuique ſenſus non mihi reconditi,
Vixiſti honeſtis ſemper in negotiis
Prudens apertuſque ut virum probum decet,
Nec ulli acerbus, aut moleſtus, aut gravis,
At nunc ſolutus omnibus curis, tibi
Vivis, nec aurum te aut honores detinent,
Quos obtulere ſponte amici & ſaepius:
Quin deſtinatum perſequaris otium,
Recte beatum parte ab omni te puto,
Nam mortis inclementiae non immemor
Quae dura nos vel oſcitantes opprimit,
Fraeno & catena ſpiritum domas tuum,
Nec ampliare rem laboras amplius:
Sed quod paraſti eo libenter uteris.
Non te catinum lucidum magis vitro,
Saliſve puri pulchra concha deficit,
Nec te miniſter, qui ſalubres colligat
Herbas, & arte non ſueta condiat;
Tibique menſa ſtrata ſemper floribus
Ridet nitetque, ut prata verno tempore
Jactatque odores hinc & hinc ſuaviſſimos
Nec vina deſunt poculis ſpumantibus;

Quae

Quae laſſa poſſunt recreare corpora,
Abeſt nec hoedus, nec caniſtra dulcibus
Repleta pomis, quae dat arbor fertilis.
Hoc apparatu ſaepe amicos accipis,
Quorum lepore captus oblivíſceris
Quaecumque nobis vita fert incommoda.
Nec aequa mens in aſperis rebus tibi
Nec deeſt ſecundis, haec quietis eſt caput,
Haec te beatis Regibus parem facit,
Tu ſemper idem, ſive te furentibus
Impelli ab Euris huc & illuc cernimus,
Seu tutum ab atro turbine, aevum degere.

AD FEDERICUM PENDASIUM.

PENDASI amicis omnibus cariſſime
Quid uſque libris involutus, nunc agis?
Cauſſas ne rerum in luce clara conlocas
Scriptis? opaca nube nobis abditas?
An ſidera extra mente tendis altius
Scrutans ſacrata pervigil volumina?
Mihi relatum eſt te polire pumice
Quendam libellum, quem diebus proximis
Feciſti & arte & ingeni vi maxima.
Mirum nec ulli, nam perennes evomat
Cur Aetna flammas noſcis, & quo fulmina
Pacto creata ex arce caeli decidant,
Et unde flabris vexet Auſter aequora,
Suiſque Pontus finibus non exeat;
Nec quidquam in atra condidit caligine
Natura rerum, quin tibi ſit cognitum,
Poſſiſque verbis explicare candidis,
Seu vis Latinis ſive mavis patriis.

His

His te decorum & praeditum virtutibus
Mirantur omnes, & beatum exiſtimant.
At mi videris eſſe Divis proximus,
Choriſque eorum jure dignus inſeri,
Quod nullus auri pondere aut honoribus
A recto & aequo te poteſt deducere,
Quod tu timore mortis, ipſo a tramite
Virtutis umquam non recedis avius,
Quod omnibus ſis dulcis, atque amabilis
Tuo lepore & comitate & moribus.
Haec illa virtus, quae me amicum reddidit
Tibi, facitque ut unice te diligam,
Optemque tecum vivere ut tuae fruar
Mentis nitore, & aureis ſententiis,
Quas fundis ore, in quo repletae floribus
Puroque rore mella conſtruunt apes.
O me beatum, ſi mihi fas leniter
Quod reſtat aevi tecum amice degere
Sed ipſa quando nunc meis neceſſitas
Adverſa votis me tenet, quin advolem
Ad te repente, ſis mei non immemor,
Mihique amore (quod facis) reſpondeas,
Vivaſque felix cum tuorum copia
Librorum, amici qui tibi ſunt optimi,
Tuiſque ſaepe me reviſas litteris,
Quibus mihi eſſe nil poteſt jucundius.

AD BERNARDINUM TILESIUM.

QUID rerum (mihi dic) geris Tileſi?
Dum terras Canis aeſtifer perurit,
Naturae ne etiam vias latentes,
Ut mos eſt tuus, impiger requiris?

Et charta ſimilum explicas perenni?
Quid noſter quoque Gallius patronus
Agat, dic precor? an ne onus reponit,
Interdum gravium negotiorum?
E longo ut recreet labore mentem,
Dulci & colloquio tuo fruatur?
Ego his temporibus meridianis
Si librum capio manu, repente
Somnus me capit, & premit labantem,
Noſtriſque e digitis cadit libellus,
Tunc deſiderio tui laboro,
Et Galli, mihi qui haeret in medullis,
Queis cum contererem Caniculaeque
Horas, & reliquum libenter aevi,
Quod tres mi veteres dabunt ſorores,
Tunc joci & gravitas, facetiaeque
Veſtrae ſe obiiciunt mihi, & lepores
Quorum participem tuis tabellis
Quaeſo me facias: ſtatim rependam
Noſtris verſiculis tibi laborem.

AD EUNDEM.

QUAMVIS laceſſam plurimis te epiſtolis,
Mittamque pignus noſtri amoris carmina,
Tamen remittis litteras nullas mihi,
Tuo nec ullus me ſalutat nomine.
Quid hoc ſibi vult (dic mihi) ſilentium?
Calor ne pigrum te Leonis fervidi,
Et Sirii aeſtus oſcitantem reddidit?
An te in paternam contuliſti villulam?
Ut acquieſcas in tuorum amplexibus,
Quo pervenire, qui tabellas afferunt,

Et

Et diligentes, & fideles neſciunt?
An quaeris uſque & uſque rerum abſconditas
Cauſas tenebris perſpicaci acumine?
Tibique nullam das quietem, inſaniens
Amore laudis, atque amiculi immemor,
Quo cum libenter dictitabas vivere?
Tuo ne noſtri decidere pectore
Joci, ſaleſque & ambulatiunculae
Laetique riſus? queis ſolebas perfrui,
Libris remittens nuntium, & negotiis.
Virtus; refulges qua, velut Sol aureus,
Quam non vetuſtas ipſa, non oblivio
Delebit umquam, mente noſtra permanet
Repoſta, & imis in medullis inſidet.
Quid ergo mirum? cum mihi ſis cognitus,
Nec te ſit ullus charior, nec dulcior,
Si nunc laboro ſcire, quid rerum geras.
Nos inter aequus conſtitutus arbiter
Me poſſe jure flagitare litteras
A te Tileſi ſentiet, quarum (precor)
Fac crebritate tarditatem ſarcias,
Seu Graeca verſas pervigil volumina,
Seu te a labore ſevocat canicula,
Captaſque frigus ad ſacri fontis caput:
Seu te lepore & temperatis moribus
Suis benignus Gallius Romae tenet,
Cui dic ſalutem plurimam verbis meis.

AD PAULLUM MANUTIUM.

CANAS, Manuti, jam ſenex receptui,
Libroſque amicos colligas tandem tuos,
Cumque iis paternae villulae, optato in ſinu,

Uxore caſta, & filiis cariſſimis,
Septus, perenni perfruare gloria,
Quam comparaſti dulcibus laboribus
In officina, & arte Marci Tullii,
Sermoneque educatus & ſententiis.
Tu de tenebris eruiſti plurima
Confecta turpi jam ſitu volumina
Vatum priorum, & reddidiſti priſtinum
Illis nitorem pumice, & verum decus,
Quae mox, parentis optimi veſtigia
Secutus, edidiſti, ut iis e fontibus
Poſſimus omnes dicta priſco ſumere
Lepore tincta, haurire & artes aureas.
Hoc te liquore nutrierunt parvulum
Muſae elegantes, nutriuntque nunc ſenem:
Quo tu refertus melle dulci dulcius
Effingis, ore quod diſerto concinis,
Chartiſve mandas: haec vetuſtas non teret,
Nec vincet umquam, ſigna quamvis aenea
Effringat, & potentium palatia
Aequata caelo diruens aequet ſolo.
Hoc es beatis Regibus beatior,
Tui labores quod perire non queunt,
Et, laude vulgus quidquid effert, negligis:
Nã, ſpreto honore vano, & auro, & omnibus,
Quaecumque ab Indo huc nauta vexit divite,
Jam conquieſces in tuorum amplexibus;
Parvoque honeſtum rure duces otium,
Securus aeſtuantis aulae a fluctibus,
Tuaque nobis otioſus intima
Quae ſunt nitenti digniora purpura
Ex arte promes uſque & uſque munera,
Eas beatus & mei ſemper memor,

Ut

Ut pars amoris aequa ſit tecum mihi,
Tu namque noſtra mente numquam decides.

AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX.

PATER beate, cui poteſtas omnium
Rerum ſacrarum a Rege Regum eſt credita
Cum ſaepe tacitus ipſe mecum cogito,
Quos tu labores mente ſolus perferas,
Dum lance juſta ponderas res publicas,
Totius orbis ſemper aequus arbiter,
Tua videtur noſtra ſors beatior;
Qui in urbe, quae per te beata eſt, vivimus
Nobis met ipſis, omnibus curis procul.
Tu, ſive Sol, ſeu Luna lucet, arduis
Semper laboras totus in negotiis:
Tu Paſtor alto pervigil de culmine
Servas ad undam Tibridis ſacras oves,
Per arua laeta, dum vagantur, & metunt
Herbam virentem, & ſaepe ab atris faucibus
Lupi rapacis cautus illas excutis,
Tutaſque reddis, lacrimans prae gaudio,
Adhuc pavore territas, ovilibus.
At quas acuto dente cernis ſaucias,
Non ſucco, & herba, non levas radicibus,
Tibi ſed arte tradita divinitus.
Tu Rector (Euro irato) in aſpro gurgite
Solus, ſenexque, fluctuantem dirigis
Petri Carinam, clavo inhaerens pectore,
Sed mente tota fixus alto in ſidere,
Quod luce longe ceteris praeclarius
Viam ſalutis indicavit Regibus,
Qui thus Sabaeum, & pondera auri, & lacrimas

Myrrhae, tulere a Solis ortu ſupplices
Deo, e papillis qui beatae Virginis
Lac dulce labris hauriebat aureis.
Tu, qui per omnes orbis oras diſcupis
Edicta ferri miſſa caeli e vertice,
Mentes ſequentum ſigna Chriſti Principum
Vincire ſacri foederis nexu ſtudes,
Quo rurſus arma in Barbarum victricia,
Vertant feroces, ut leones in feras,
Ejuſque claſſes claſſibus ſic obruant;
Ut jacta ab alto ſaeva in illas fulmina,
Ne rurſus Hydra, quae reſecto corpore
Jacet reſurgens, virus in nos evomat.
Poſt tot vigilias laſſus, & curas graves,
Interdum amoena rura ſi perambulas,
Ut mente feſſa recreata, & anxia
Fronte explicata, deinde rerum pondera,
Tuumque munus ferre poſſis fortior,
Curae repente te ſequuntur, & caput
Circum volantes dulce turbant otium.
Tum tu, ſaluti qui tuae non conſulis,
Sed Romae & orbis, huc recurris ſedulus,
Ut attigiſti villae apricae limina,
Praeſenſque rebus fers opem labentibus,
Utque Hadriano immota ſemper aequore
Cautes ſtat Euris hinc & hinc ruentibus
Expoſta, & altis verberata fluctibus,
Sic tu querelis pauperum, & negotiis
Regum potentum parte ab omni urgentibus
Firmus reſiſtis, numquam ab illis obrutus;
Tot ipſe rebus impeditus publicis,
Nec ficte ut Atlas pondus orbis ſuſtinens
Cervice forti, at mentis altae viribus,

Num-

Numquam ſalubri das quieti lumina,
Nec potes amicis, ut ſolebas, perfrui,
Queis nil hominibus eſt datum jucundius.
At nos, amici qui fuimus olim tui,
Nunc jure ſervi, poſtquam es alta Pontifex
In ſede voce collocatus omnium,
Curis ſoluti Paſqualinus, atque ego,
Quietiorem ducimus vitam tua.
Nos otioſi, quod tibi numquam evenit,
Jucundi amici dulcibus ſermonibus
Capti, diei ſaepe partem fallimus,
Et ſaepe menſa recreati in parvula,
Gallina, & ovo, & temperatis poculis,
Modo hos, modo illos ambulatiunculis
Metimur hortos arte mira conſitos.
Nec atra cura nos ſecuta, ab otio,
Nec a quiete noſtra corda ſevocat.
Senumque praeter morem ad aſtra haec tempora,
In quae ſenectus noſtra nuper incidit,
Efferre nobis dulce ſummis laudibus.
Nam parta cunctis eſt tuis ſudoribus
Quies perennis. Queis labores Herculis
Non comparandi, quos poetae concinunt.
Nil hujus acta nunc queunt mortalibus.
Prodeſſe. nobis quid nocerent cornua
Tauri? quid Hydra? quid Leo? quid Cerberus?
Vigilve ſerpens? ſi tot ille interitus
Non contudiſſet monſtra forti dextera.
Tuo ſed ex labore praeſtantiſſimo,
Velut perenni e fonte, ſancta poſſumus
Nos dona large, & qui futuri, ſumere.
Ut Sol miniſtrat lucidum nobis jubar,
Idemque noſtris mox dabit nepotibus,

Curru rotato dum feretur ethere,
Sic jura, quae tu digna condis aeneis
Scalpi tabellis, nunc, & uſque poſteris
Fructus per annos affluentes afferent:
Nec ille nobis plura te benignior
Fert dona, quamvis multa multis ſuggerat
Diverſa rebus. dat colorem purpurae
Fragis, roſiſque, & lactis albi, liliis,
Suaque rorem luce reddit vitreum,
Lunamque nunc argenteam, nunc auream,
Et ſaepe guttis, quas ab herbis elicit
Virtute propria, noſtra ſanat corpora,
Confecta acutis ſint licet doloribus.
Vadique ripis alta denſas Populus
Per illum ad aſtra vere frondes explicat,
Et horti Acantho, & ſuave olenti Amaraco
Referti, odore cuncta replent undique?
At tu, potente Sole qui es potentior,
Ejuſque vincis clariore lampade
Lucem, decorus luce Sancti Spiritus,
Terrena dona ſpargis, & caeleſtia,
Manuque ſacra, & ore ſacro, & pectore.
Tu, quos egeſtas acris urget, ſublevas
Et farre, & auro, at qui meretur plurimum,
Quod publicam rem geſſerit prudentia,
Vitaeve ſanctitate praeſtet ceteris,
Virtutis, illi das honores, praemia.
Tu clave ſacra, quam tibi qui temperat
Et terram, & undam, & fulva ſigna, tradidit,
Illis recludis lucidas caeli fores,
Errata voce qui fatetur ſupplici.
Tu nos catenis aureis, tu lenibus
Frenis coerces, & reducis in viam

Re-

Rectam vagantes, & tuo exemplo facis,
Ut ROMA pulchris moribus renideat,
Proboque lites ut ſecentur Judice.
Pax alma, per te floret oris Italis,
Simulque florent elegantes litterae,
Fulgent & artes ſplendidis honoribus.
Aſtraea librans cuncta juſto pondere
A te vocata eſt ſummo Olympi e vertice,
Et inde penna huc devolavit aurea,
Et has libenter aequa ſedes incolit,
Semperque tecum a turpi honeſtum ſegregat,
A te nec umquam diſcrepat ſententia.
Te, largientem tot beata munera,
Nullo Potentum, aut Pauperum diſcrimine,
Miratur hic & ille, & uſque ſuſpicit.
Nos inter eſt Manutius, lux & decus
Linguae Latinae, quam cadentem ſuſtinet,
Nec non Muretus, qui per ora illuſtrium
Volat virorum, vectus alis ingeni,
Nitore purae mentis ambo amabiles.
Hi ſaepe mecum laude certant tollere
Tot clara facta, quae ſoluto ſcribere
Sermone ſecum jam volutant, & modis,
Qui ſint Maronis dignitatis aemuli.
At ipſe, quem aetas jam ingraveſcens impedit,
Ne magna noſtris acta chartis inſeram,
Deum rogabo, ut ſerum ad aſtra te evehat,
Nos, unde lapſus juſtus & prudens regis.

JACOBI SADOLETI CARMINA.

DE LAOCOONTIS STATUA.

ECce alto terrae e cumulo ingentiſque ruinae
Viſceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies: aulis regalibus olim
Qui ſtetit, atque tuos ornabat, Tite, penates:
Divinae ſimulacrum artis: nec docta vetuſtas
Nobilius ſpectabat opus; nunc alta reviſit
Exemptum tenebris redivivae moenia Romae.
Quid primũ ſummumve loquar? miſerumne parentẽ
Et prolem geminam? an ſinuatos flexibus angues
Terribili aſpectu? caudaſque, iraſque draconum,
Vulneraque, & veros, ſaxo moriente, dolores?
Horret ad haec animus, mutaque ab imagine pulſat
Pectora, non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum vivi ſpiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & ſinuoſis orbibus oram,
Ternaque multiplici conſtringunt corpora nexu.
Vix oculi ſufferre valent crudele tuendo
Exitium, caſuſque feros. micat alter, & ipſum
Laocoonta petit, totumque infraque, ſupraque
Implicat, & rabido tandem ferit ilia morſu.
Connexum refugit corpus, torquentia ſeſe
Membra, latuſque retro ſinuatum a vulnere cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulſus acerbo
Dat gemitum ingentem, crudoſque avellere dentes
Connixus, laevam impatiens ad terga chelydri
Obiicit: intendunt nervi, collectaque ab omni

Cor-

Corpore vis fruſtra ſummis conatibus inſtat.
Ferre nequit rabiẽ, & de vulnere murmur anhelũ eſt.
At ſerpens lapſu crebro redeunte ſubintrat
Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.
Crus tumet obſepto turgent vitalia pulſu,
Liventeſque atro diſtendunt ſanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera ſaevit,
Amplexuque angit rabido, miſerandaque membra
Dilacerat: jamque alterius depaſta cruentum
Pectus, ſuprema genitorem voce cientis,
Circunjectu orbis, validoque volumine fulcit.
Alter adhuc, nullo violatus corpora morſu,
Dum parat adducta caudam divellere planta,
Horret ad adſpectum miſeri patris, haeret in illo:
Et jam jam ingentes fletus, lacrimaſque cadentes
Anceps in dubio retinet timor: ergo perenni
Qui tantum ſtatuiſtis opus jam laude nitentes,
Artifices magni (quanquam & melioribus actis
Quaeritur aeternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturae tradere famae)
Attamen ad laudem quaecunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, & ſumma ad faſtigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximii, & vivos ſpiranti in marmore ſenſus
Inſerere adſpicimus, motumque iramque doloremq;
Et pene audimus gemitus: vos obtulit olim
Clara Rhodos: veſtrae jacuerunt artis honores
Tempore ab immenſo, quos rurſum in luce ſecunda
Roma videt, celebratque frequens: operiſque vetuſti
Gratia parta recens. Quanto praeſtantius ergo eſt
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam faſtus, & opes, & inanem extendere luxum

DE

DE QUINTO CURTIO

IRE per aeternos aevi venientis honores
Conſpicuum meritis, & jugi vivere fama
Fas illum eſt, quem fata vocant, cui pectore praeſens
Excubat, atque animum caelo adiicit ignea virtus:
Cujus ſaepe ſagax trepidis prudentia rebus
Veſtigavit opem, docuitque haud ſera Senatum:
Sive armis ille, & dextra, ſeu morte cadentem
Servavit patriam; atque hoſtes in funere vicit.
Nec tamen eſt decorum tantorum maxima merces
Laude hominũ, aut poſitis trivio ſpectanda trophaeis,
Quamvis longa datum ſtruerent in ſaecula nomen:
Verum illuc melior ſpes evocat, unde recepti
In lucem ſumus, ac patrios revocamur ad ortus,
Cum caelum ſuperoſque lares axemque ſerenum
Suſpicimus, rapido circum qui ſidera flexu
Torquet, & immenſos actis ciet orbibus orbes.
Hunc pater omnipotens alterna luce micantem
Conſtituit, nec non pulcra in ſpectacula claris
Ignibus, & multo ſtellantem inſigniit auro,
Dignam ſedem animis praeſtantibus illa deorum.
Illa domus nobis patria eſt. hic nobile magnae
Accipiunt pretium regnantque per ethera mentes
Sed fuit hoc olim, ſuperas evadere ad arces
Regia tecta Deum coetu meruere frequenti
Magnanimi heroës, priſcis quos extulit annis
Tunc, cum larga ducum fundebat ſemina tellus.
At nunc (quandoquidẽ haec turpi conſumta veterno
Jampridem infelix, inhonoraque tabuit aetas,
Et cecidit decus & dominantum more ſiniſtro
Ejectum ingenium, virtuſque faceſſere juſſa eſt)
Nos

Nos veterum facta haud ſegnes repetamus avorum
Fortia, & ad priſcum curam hanc vertamus honorē,
Qua fortuna ſinit, quantum eſt conceſſa facultas.
Sitque prior, quem non metus, & gravis ira deorum
Terruit, abyſſae non monſtra immania terrae;
Quin facto egregio infernis ſe traderet aris.
Nam ſive inſenſis Capitoli, arciſque Lycaeae
Praeſidibus Superis, clauſi ſeu turbinis aeſtu
Mota loco tellus ſpatii diſcrimine vaſto
Abſtiterat, medioque foro patefacta vorago
Abrupta in praeceps; immenſa oriſque profundi
Summotas reſerans fauces (trepidabile viſu)
Tartaream ad noctem, ac ſedes penetrarat Avernas
Intuleratque diem, caeloque refuderat umbram.
Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu
Taenara Cumaeaeque domus latebroſa Sibyllae.
Extemplo exciti monſtro populuſque, patreſque
Concurſu approperant magno, & de collibus altis
Denſi adſpectantes, Stygii ut portenta ſepulcri,
Atque atram videre lucem, rimoſaque circum
Aequora, & immani jam jam vi rupta barathro
Perculſis ſtupuere animis; tum frigidus artus
Concuſſit tremor, & ſubito per membra cucurrit:
Nec jam ſtare gradu, aut tumulis ſublimibus audent.
Sub pedibus late ſcindi, infidumque labare
Omne ſolum, colleſque ipſi ſubſidere in ima
Tartara, & obſcura mergi ſub nocte videntur.
Jamque metu trepidos, ſubitaque redire volentes
Inde fuga fallit conatus, aegra receptum
Genua negant: gelido concretis ſanguine fibris,
Nec vires membris notae, nec vox ſonat ore.
At veluti ſi quando truci ſub imagine ſomni
Declivi e ſcopulo ripave horremus ab atra

Prae-

Praecipitem caſum; refugit calor oſſibus omnis;
Et vires & membra cadunt: non anxia vocem
Verba ſonant; preſſos ſopor, & timor alligat artus:
Haud ſecus Aeneadae gelida formidine tardos
Implicuere gradus, nec vis ſua tollit euntes,
Spectanteſque fugã, prorſuſque extrema trementes.
Tandem ubi gliſcenti gravis eſt mora viſa periclo,
Incubuitque malum violentius, & metus alter
Excuſſit ſtupidos, ac mentis reddidit uſum;
Quaerere opem rebus ſummis & nitier omni
Auxilio, raptimque cavas explere latebras
Aggere projecto, & congeſtis molibus inſtant.
Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem; ſpes una ſuperſtes,
Si quis apud Divos veniae locus: ergo per omnes
Ire aras pueri & matres; timidaeque puellae
Supplicibus votis certatim expoſcere pacem
Numina ſancta Deum, caeloque extendere palmas
Nec minus interea Tyrrhenae gentis aruſpex
Fata aperit, ſic divinis monſtrantibus extis
Ore canens: o Dardanii ſpes inclyta Juli,
Mars pater, aſtrifero genus & cui nobile caelo,
Et virtute fidem, & praeſtantibus adſtruit armis,
Non haec Caelicolum grave, & implacabile numen
Nunc portenta novat, ſed hianti luridus orco
Eumenidum dolor, & ruptae diſcordia terrae
Inſigni redimenda bono, quo maximus uſus
Imperii ad columen famaeque ſequentis honorem.
Hanc fati obſcuram vocem, monituſque Deorum
Concilio exceptos, non unis mentibus omnes
Accipere: ambigui ſenſus, diverſaque patrum
Murmura, nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.
Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis

Cur-

Curtius eductum Curibus quem antiqua vetuſtis
Nobilitas laude, & ſerie decorabat avorum,
Namque ferunt, urbis jaceret cum prima ſuperbae
Fundamenta pater, captaque ex arce Sabini,
Foeminei ultores raptus, jam valle ſubirent,
Conferrentque aciem, atque anceps fortuna duelli
Ambigeret: facinus clarum, longeque fuiſſe
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.
Iſque diem (poſtquam ad pacem verſa arma duceſque
Imperii junxere fidem, dextraſque dedere)
In partem merito patriae & praeclara vocatus
Praemia, nec ſtudio deinceps, nec defuit uſu
Romulidis, longamque dedit deſcendere prolem.
Tali ortus genere, & proaviti nominis heres
Curtius, ardenti ſaepe in certamine victor,
Quaeſieratque manu decus, & virtute tenebat
Exſuperans animi juvenis; ſive arduus alto
In pugnam ſe ferret equo, ſeu Marte pedeſtri
Adverſum exciperet collatis ictibus hoſtem.
Huic pater aethereams ſuperi converſor Olympi
Immittit ſubito mentem, reſeratque latentes
Fatorum ambages, ipſumque in funera poſci
Submonet, & dubiae quae ſit via certa ſalutis:
Ille ardet, largoſque alti bibit aetheris ignes,
Divinum ſpirans: nec jam mortalia cordi.
In patriam quippe & pietas, & funeris atri
Exequiae laudum aeternae, multuſque ſuorum
Urget amor: tandem, velut acri concitus oeſtro,
Irrumpit medios, teſtatus numina Divum.
Nec mora, pro patria infernis ſe deſtinat aris:
Arrectae mentes cunctorum, omniſque receſſit
Pectoribus timor, & caecis lux reddita rebus
Magnanimi juvenis fato inferiiſque propinquis.

Cur-

Curritur, effuſique ſenes & vulgus inundant,
Agglomerantq; foro; & ſi qua deſpectus in imum eſt
Aedeſque, tumuloſque, & culmina Pallantea,
Tarpejamque arcem, & Divum faſtigia late
Conventu cumulant pleno, addenſantque coronas.
Jamque aderat longa ſenior cum veſte ſacerdos
Funereis moerens vittis; ſacrumque litabat
Plutoni Stygio: aſt alii nigroſque juvencos,
Et fulvas jugulant pecudes: ipſe ordine vota
Nuncupat, & juvenem ſpargit fluvialibus undis,
Vos ciens triplicemq; Hecatem, magnamq; parentem,
Tergeminoſque Deos: tum numina dira precatur
Eumenidum, populoque gravem depellit Erinnym.
Stant taciti circum, linguiſque ſilentibus unum,
Unum omnes fixi obtutu, immotique tuentur
Armatum extantem, atque aerata luce coruſcum.
Ille autem (nam fata premunt, longaſque recuſant
Ferre moras) coram vacuum progreſſus in aequor,
Ut ſtetit abruptae titubato in margine ripae
Pallidus, inque atram dejecit lumina noctem:
Rettulit os rurſum caelo, ſublataque tendens
Brachia, in has ſupplex exſolvit pectora voces.
Dii patrii, quorum auſpiciis ſtat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis auctor
Bellator Mavors, Vulcane, paterque Quirine,
Veſtaleſve foci, Janique biverticis ora,
Audite haec, ſanctumque precanti avertite numen.
Si qua, nefas, virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad poenamque vocat: fraus hic communis abeſto
Unus ego haud ſegnis dextra, nec frigidus armis
Hanc animam, inferno umbrarũ regi, & Stygiis Diis
Devoveo, lucemque volens, auraſque relinquo:
Tantum dura mei fugiant diſcrimina cives:
Hanc

Hanc ſpem, quā patriae incolumis dant fata, ſepulcri
Et mortis comitem poſco ac mecum ire ſub umbras.
Tum vos infenſi manes, queis Romula virtus
Diſplicet, invidiamque movent ingentia facta;
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum eſt,
Vertite ab excidio patriae, exitioque meorum:
Ipſe luam ſimul haec dixit, ſimul aſtitit olli
Conſpicuuſque auro, & Maſſyli pelle leonis
Acre fremens bellator equus, quo tendere in hoſtem
Primus & obſtanteis incurſu rumpere turmas
Suetus erat, ſubitaque acies turbare procella.
Hunc ubi terga premens dorſoque exceptus amico
Impulit, & notis habilem tremefecit habenis,
Nil mortale putans, animique interritus heros:
Viſa hominis major facies, procul aere refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruſcant.
Interea coelo Superum Rex magnus ab alto
Urbem Dardaniam adſpectans, ſaevaeque ſuperbum
Contemptorem animum mortis, dabat inclyta facti
Praemia, ſecum animo volvens, curamque fovebat:
Cum lacrimas promtumq; ferens moeſto ore dolorē,
Triſtis ſic medio coeli ſuper axe Quirinus
Alloquitur: o, cuncta pater qui fata gubernas,
Aeternumque regis: en quo ſpectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus.
Non haec exactis olim ſperavimus annis,
Cum ſedem hanc terrae regno, externiſq; triumphis,
Romanumque tuo ſancibas foedere nomen:
Atque ante hoſtili virtutem opponere ferro
Unum opus, & labor unus erat, pretiumque laboris
Imperium patriae, aut lethi ſors clara ferebat.
Nunc jam quid ſupereſt, aut quam fortuna ſinit ſpem,
Si manes rigidos etiam & fera Tartara contra

Bellandum eſt? num dicta retro mutata recurrunt
Fata tibi? aut coepti piget, & ſententia verſa eſt?
Et nunc iſte quidem juvenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vivuſque immittitur Orco
Inſcius ullius culpae, ſic digna rependis
Praemia, virtuti genitor? haec gratia promta eſt?
Si quod conceptum eſt in te facinuſve, ſceluſve
Aeneadis generique meo, te verius ipſum
Tela dare, & ſeptem repetitis ictibus arces
Fulmine deiicere, ac ſedes abolere nepotum.
Sin autem & caſtae ſunt res, nec juſtius ulla
Relligione pater coleris, ſub numine ſemper
Roma tuo, puroſque tibi meditatur honores:
Parce tuis, pacemque refer: ſic Romulus orſus.
Tum pater, aetherio pellit qui nubila vultu,
Talibus it contra. Nec te dolor iſte timentem
Sollicitet, mea progenies: neve aſpera fingas
Fata tibi, & coeptos animi dimitte labores.
Urbi Romuleae late debetur, ab ortu
Quicquid ad occaſum rerum jacet, & vaga quicquid
Tethys obit, refluoque adlatrant aequora ponto:
Stat fixum hoc, nec fluxa retro ſententia nutat.
Quin jam aderit, cum tu Romana in ſceptra videbis
Heſperiamque omnem, & gentes tranſire remotas,
Imperiumque, genuſque tuum ne triſte querare
Supplicium egregii juvenis. non ille ſub umbras
Tartareas maneſve cadens deſcendet ad imos.
Hunc animum, has mentes, haec corda excelſa tuorũ
Eſſe velis, fretoſque ſua virtute Quirites
Et conferre manum fortunae, & temnere mortem.
Sic etenim via ſidereas quae ducit ad arces,
Et famae meritum ſteterit decus his ubi moeſtum
Leniit omnipotens dictis, gemitumque repreſſit.

Con-

Continuo tacitus ſecum majora volutat.
Stant Jovis ad ſolium geminae ſuper aſtra ſorores
Mente ſatae aeterna, queis coetu eſt cura Deorum
Adlegiſſe pios, humanaque nectere Divis.
Harum unam Pietatem alto deſcendere ab axe
Imperat & Curti manes adſiſtere ſacros.
Illa Jovi parens, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longamque cito dat tramite lucem:
Qualis ſaepe polo ſaliens ſub nocte ſerena
Stella fugit curſus ſubito traiecta volucres.
Et jam Tarpeii ſupra faſtigia templi
Adſtitit, inque arce extrema delapſa reſedit:
Cum juveni viſa eſt mentem majoris imago
Adſcendiſſe Deae. juvat ire in funus & omnes
Praecipitare moras: ſonipes ſub pondere ſueto
Ardet in expletum exultans; jamque ardua jactat
Brachia, jam pede tundit humum, hinnituſq;canoros
Suſcitat, & vivos ſcintillat naribus ignes.
Eſt locus extructo ſuggeſtu & molibus exſtans,
Parte fori adverſa celeber, quem nomine noto
Roſtra vocant; primi unde duces plebiſque magiſtri
Affari populum, atque edicere ſcita ſolebant.
Hinc juvenis freno & ferratis calcibus acrem
Egit equum, lora effundens: hinc fervidus illum
Impulit. attoniti primo motu fremituque
Diriguere omnes, mens & calor oſſibus haeſit.
Ille rapit medium campi, curſuque citatum
Quadrupedem vaſtae immittens in aperta ruinae
Dat ſe in praerupta, atque ingenti rupe ſecuta
Involvenſque ruenſque ſpecu deſcendit ab alto.
Ac velut aërio praeceps cum monte revulſum
Saxum ingens in prona ruit, moleſque ſubactas
Volvit & aſſultu rapido latera obvia rumpit;

Dant gemitum lateque fragor geminatur in auras:
Sic tellus, ſic praecipiti pulſata ruina
Contremuere fora, & longas referentia voces
Templa ſonant. ſtetit obtutu ſtupefactus & amens
Intento populus circum, immotuſque pependit.
Magnus eques uſque attonitis, horrorque, feroxque
Procurſus, cladeſque viri ſuprema moratur
Ante oculos: etiã arma tonant, etiam auribus ingens
Inſultat fragor, & torpentia pectora pulſat:
Currentemque diu trepidant, horrentque cadentem.
Ut primum ſonitum, atque umbras diſcuſſit inanes
Reddita mens, caeloque dies oblata ſereno eſt;
Emotae extemplo curae cunctique reverſi
Ereptum ad juvenem ſenſus. viridis ſubit aetas
Digna Deum potius venia, fatiſque ſecundis,
Et decor & mores placidi: tum clara recurſant
Facta animis, tantaeque recens pietatis imago,
Verbaque, ſupremaeque preces; quo funere certus
Occiderit, patriaſque cadens ſervaverit arces,
Ultro morte oblita, & pallentes miſſus in oras.
Cum tamen hunc miſerum ſpes deſolata parentum,
Conjugis & carae fletus, natique vocarent;
Dilecti ad curam laris antiquoſque penates;
Tantum illum patriae & generi tribuiſſe ſuorum,
Ut ſeſe exitio & fatis communibus unus
Traderet. haec inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrimaeq; ſequi, & crebreſcere voces
Laudantum, ac ſortem miſerantum mortis acerbam.
At jam confuſum diverſo ex agmine murmur
Attollit magis, atque magis jam ſparſa ſolutis
Turba ruit cuneis; fremitu tonat arduus aether,
Ceu quondam in ſilvis leni cum flamine primum
Offenſae crepitant frondes, & lenta ſuſurrant
Mur-

Murmura: mox valido ſi turbine fortior Auſter
Incubuit ſtragemque dedit; ſtrepit omne tumultu
Confuſum nemus, & populata cacumina jactat.
Conſternitque ſolum ramis; it ſtridor ad auras
Jamque patres, primique ducum, lectique ſenatus
Fatorum augurio proceres, quique alta gerebant
Imperia, aut ſacros ornabant vellere canos
Inceſſu tacito coeuntis ad oſtia terræ
Adveniunt cinguntque lacum: tum cetera circum
Turba premit, cœtuſque implet ſtipata profundos.
Et nunc hac, rurſum hac impulſum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo, lætas, & munera prima
Apponunt. pars incenſis altaria flammis
Conſtituunt, peraguntque preces, & rite ſacratos
Deſcribunt fines lituo, frontemque, latuſque,
Ultimaque; & meritos grati teſtantur honores,
Certatim effuſi in laudes. hinc nota frequentant
Militiae decora, & murales ſaepe coronas,
Defenſumque manu civem, ſocioſque receptos,
Indomitumque animi Volſcum, vel cominus enſe,
Eminus aut jaculo atque irarum vindice dextra,
Proſtratum; ſpolia inde cavis adſtantia tectis:
Ut non conſilio inferior quam fortibus armis
Saepe locum inſidiis deprenderit ad juga, ſaepe
Inclinatam aciem turbataque ſigna ſuorum
Acrius intulerit pugnae, turmaſque morantes
Vi junctae virtutis equoque obnixus ab alto
Impulerit: tu non hoſtili caede tepentes
Sternere agros, non magnanimũ praeferre trophaeis
Martia dona ducum, laudis metamque modumque
Eſſe tuae decorumve finis: tu ſaeva refutas
Portenta, & Stygium praeclara morte furorem.
Te diri ſtupuere amnes; te ſancta cadentem

Concilium ad Superum, cernentis & omnia caeli
Extulit & Pietas, & vitae prodiga virtus.
Salve certa ſalus patriae: tibi praemia mille
Sidereis collata locis: nec plura mereri
Fas homini eſt; aut ſi fato quis major eodem
In terram Deus ille alto demiſſus Olympo.
Et tamen humanae quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi linguaeque valent, nõ gratia deerit,
Non Amor officiove decus: celebrabere grati
Voce aevi, generiſque tui ſervator & urbis.
Nec minus interea lacus, hic quem funere magno
Impleſti moriens facti immortalis honore
Perpetuum ſanctumque tuum & memorabile nomẽ
Proferet, aeternaeque aram virtutis habebit.

ANGELI POLITIANI
CARMINA
IN LAUDEM CARDINALIS MANTUANI.

O Meos longum modulata luſus,
Quos amor primam docuit juventam,
Flecte nunc mecum numeros, novumque
Dic lyra carmen.
Non quod hirſutos agat huc leones,
Sed quod & frontem domini ſerenet,
Et levet curas, penituſque doctas
Mulceat aures.
Vindicat noſtros ſibi jure cantus
Qui colit vates citharamque princeps,
Ille cui ſacro rutilus refulget

Crine

Crine galerus.
Ille cui flagrans triplici corona
Cinget auratam diadema frontem,
Fallor? an vati bonus haec canenti
Dictat Apollo?
Phoebe quae dictas, rata fac, precamur,
Dignus eſt noſtrae dominus Thaliae,
Cui celer verſa fluat Hermus uni
Aureus urna.
Cui tuas mittat Cytherea conchas
Conſcius ſibi Phaethontis Indus,
Ipſa cui dives properet beatum
Copia cornu.
Quippe non gazam pavidus repoſtam
Servat Aeaeo ſimilis draconi,
Sed vigil famam ſecat, ac perenni
Imminet aevo.
Ipſa Phoebeae vacat aula turbae
Dulcior blandis Heliconis umbris,
Et vocans doctos, patet ampla toto
Janua poſte.
Sic refert magnae titulis ſuperbum
Stemma Gonzagae recidiva virtus,
Gaudet & faſtos ſuperare avitos
Aemulus heres.
Scilicet ſtirpem generoſa ſucco
Poma commendant, timidumque nunquam
Vulturem foeto Jovis acerales
Extudit ovo.
Curre jam toto violentus amne
O ſacris Minci celebrate Muſis,
Ecce Maecenas tibi nunc, Maroque
Contigit uni.

Jamque vicinas tibi ſubdat undas
Vel Padus multo reſonans olore,
Quamlibet flentes animoſus alnos
Aſtraque jactet.
Candidas ergo volucres notarat
Mantuam condens Tiberinus Ocnus,
Nempe quem parcae docuit benignae
Conſcia mater.

INNOCENTIO PONT. MAX.

SI quod arcanis Helicon ſub umbris
Carmen intactum fidibus priorum
Parturit, ſaxis iterum audiendum
Arboribuſque,
Quale nec triplex Achelois auſa eſt
Cautibus virgo reſidens marinis,
Nec puer Phoebi Ciconum remoto
Dicere in antro.
Illud attritas repetita chordas
Barbitos docto moduletur arcu,
Dulcis interpres animi, piaeque
Conſcia mentis.
Namque te rerum caput Innocenti
Turpe vulgato ceciniſſe plectro eſt,
Cujus aurata triplices refulgent
Fronte coronae.
Roma cui paret, dominuſque Tibris,
Qui vicem ſummi geris hic tonantis,
Qui potes magnum reſerare, & idem
Claudere caelum.
Blanda cui vultu gravitas ſereno
Ridet, inviſos abigitque faſtus.

Mitis,

Mitis, & celſi radios poteſtas
Temperat oris.
Sponte ſublatos verecunda faſces
Deprimit virtus, apicata triſti
Nube majeſtas caret, & decoro eſt
Splendida cultu,
Ergo formoſam redit in juventam,
Seque jam laetos parat ad triumphos
Roma, ſeptenos hilarata coles
Praeſide tanto.
Urbſque quae Phryxi ſpeculatur undas,
Exuet ſaevas propere catenas,
Ac ſuas nobis opulenta palmas
Mittet Idume.
Quippe concordes animos, manuſque
Devovent reges tibi, ſeque ad arma
Concitat, Turci ſitiens cruoris
Veſper & Arctos.
Scilicet tales meditatus annos
Juppiter feſſo comes it parenti,
Quo tibi felix ſimul atque fauſtum
Prorŏget aevum.

AD GENTILEM EPISCOPUM.

GENTILES animi maxima pars mei
Communi nimium ſorte quid angeris?
Quid curis animum lugubribus terris,
Et me diſcrucias ſimul?
Paſſi digna quidem perpetuo ſumus
Luctu, qui mediis (heu miſeri) ſacris
Illum, illũ juvenem vidimus, o nefas,
Stratum ſacrilega manu.

At

At ſunt attonito quae dare pectori
Solamen valeant plurima: nam ſuper
Eſt, qui vel gremio creverit in tuo
Laurens Etruriae caput.
Laurens quem patriae caelicolum pater
Tutum terrifica Gorgone praeſtitit.
Quem Tuſcus pariter, quem Venetus leo
Servant, & draco pervigil.
Illi bellipotens excubat Hercules,
Illi fatiferis militat arcubus,
Illi mittit equos Francia Martios,
Felix Francia regibus.
Circunſtant populus murmure diſſono:
Circunſtant juvenem purpurei patres:
Cauſſa vincimus & robore militum.
Hac ſtat Juppiter, hac favet.
Quare o, cum miſera quid tibi Naenia,
Si nil proficimus? quin potius gravis
Abſterſiſſe bono letitiae die
Audes nubila pectoris.
Nam tunc cum gelidos umbra reliquerit
Artus, non dolor hanc perpetuus retro,
Mordaceſve trahent ſollicitudines,
Mentis curaque pervicax.

ODE.

JAM cornu gravidus praecipitem parat
Afflatus. ſubitis frigoribus fugam
Autumnus pater, & deciduas ſinu
Frondes excipit arborum.
Cantant emeritis Bacche laboribus
Te nunc agricolae, ſed male ſobrios

Ven-

Ventoſae querulo murmure tibiae
Saltatu ſubigunt frui.
Nos anni rediens orbita ſub jugum
Muſarum revocat dulce ferentibus,
Porrectiſque monent ſidera noctibus
Carpamus volucrem diem.
I mecum docilis turba biverticis
Parnaſſi rapidis per juga paſſibus,
Expers quo ſenii nos vocat, & rogi
Conſors gloria caelitum.
Nam me ſeu comitem, ſeu juvenes ducē
Malitis, venio: nec labor auferet
Quaerentem tetrice difficili gradu
Virtutis penetralia.

DE ALCONE ET SERPENTE.

VIDIT ut implicitum puero pater anxius anguem,
Intendit dubia cornua flexa manu:
Inque ferae fauces calamum ſic torſit, ut audax
Terruerit natum non minus angue ſenex.
Sed nunquam pius errat amor: puer hoſte peremto
Salvus erat, ſtupuit morte diremta ſalus.
Victor ab hac pharetram quercu ſuſpendit, & arcum
Fortunae, atque artis quae monumenta ſuae.

BASSO.

BASSE licet veterum monimenta revolvat avorum,
Vix quem fama tibi conferat inveniet.
Omnia nam tibi ſunt, fuerant quae ſingula priſcis,
Feciſſet triplex qualia vix Erilus.
Tu mittis Lydos aeterna in ſaecula faſtos,

Tu

Tu conferre audes cum Cicerone manum.
Tu brevibus claudis laſciva epigrammata chartis,
Et tener exiguos ludis amans Elegos.
Idem & Pindaricos gaudes recludere fontes,
Ut Venuſina tibi barbitos aſtupeat.
Ecce Syracuſias tentas inflare cicutas,
Non jam hic in ſilvis Tityrus unus erit.
Jam chaos antiquum, primamque evolvere molem
Incipis, & grandi protinus ore tonas.
Jam Maro te torva reſpectat fronte, ſecundum
Jam pavet, & ſceptris gloria priſca ſuis.
Utque intret biferi ſi virgo roſaria Paeſti,
Quam primo carpat, vix ſciat illa roſam:
Sic tot fama tuae cernens miracula laudis,
Palmam cui primum deferat, in dubio eſt.

AD LAURENT. MEDICEM.

CUM referam attonito Medices tibi carmina plectro,
Ingeniumque tibi ſerviat omne meum,
Quod tegor attrita ridet plebecula veſte,
Tegmina quod pedibus ſint recutita meis,
Quod digitos caligae diſrupto carcere nudos,
Permittunt caelo liberiore frui.
Intima bombicum vacua eſt quod ſtamine veſtis,
Sectaque de caeſa vincula fallit ove,
Ridet, & ignavum ſic me putat eſſe poetam,
Nec placuiſſe animo carmina noſtra tuo.
Tu contra effuſas toto ſic pectore laudes
Ingeris, ut libris ſit data palma meis,
Hoc tibi ſi credi cupis, & cohibere popellum,
Laurenti veſtes jam mihi mitte tuas.

AD

AD EUNDEM, GRATIARUM ACTIO.

DUM cupio ingentes numeris tibi ſolvere grates
  Laurenti, aetatis gloria prima tuae,
Excita jamdudum longo mihi murmure tandem
  Adſtitit arguta Calliopaea lyra:
Adſtitit, inque meo pretioſas corpore veſtes
  Ut vidit, pavidum rettulit inde pedem:
Nec potuit culti faciem dea noſſe poetae,
  Corporaque in Tyrio conſpicienda ſinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,
  Fruſtrata eſt calamum diva vocata meum.
Mox tibi ſublato modulabor pectine verſus,
  Cultibus aſſuerit cum mea muſa novis.

In adarim populum, quae repente ante domum Laurentii reviruit.

QUOD rediviva novas diffundit vertice frondes
  Quae Medicam ſurgit populus ante domum,
Cui quondam Ogygio fierent cum ſacra Lyaeo,
  Admovit rapidas ebria turba faces.
Quid mirum? Herculeis nam cum Laurentius armis
  Aemulus, Auſonios temperet arte lares,
Ipſe ſuas juveni Tyrinthius explicat umbras,
  Implicet ut meritum lecta corona caput.
Sic quoniam dextro modulatur Apolline carmen,
  Ante ſuas Lauri circumiere comas.
Nunc igitur duplici crines lambente corona,
  Se bello oſtentet, ſeque valere toga.

AD

AD XISTUM CARD.

TENDERET Hetruſcam nuper cum Xyſtus in urbē
Aurea quae magni ſigna leonis habet,
Viderat aſſiduis pallentes ſolibus herbas
Et cava limoſo flumina ſicca ſinu.
Viderat & querulis poſcentem vocibus imbres.
Effuſas populum congeminare preces.
Ergo ſalutiferos ſuſpendit in aethere nimbos,
Dum pergit Lydas Xyſtus adire domos.
Inde ubi jam laetus mediae ſeſe intulit urbi,
Obtulit & Tuſcis ora ſerena piis:
Ardua laxato diſcuſſit nubilo caelo
Et liquido arentem nectare pavit humum.
An quiſquam neget eſſe deum te Xyſte, tenentē
Imperium terris, imperiumque polo?

IN LAURENTIUM MEDICEM.

ANTE erat informis Laurens tua patria truncus,
Nunc habet ecce ſuum te tribuente caput.
Namque tuis nimia eſt frenata licentia nuper
Legibus hoc patriae quis neget eſſe caput?
Caeca fuit quondam tua dicta Fluentia, ſed nunc
Cuncta, oculos illi te tribuente, videt.
Otia namque piis ſtatuiſti dulcia muſis,
Quas patriae veros dixeris eſſe oculos.
Conſilium dic eſſe aures, quo conſulis illi:
Quod fugit inſidias te duce, nare valet.
Cum dederit largas illi tua dextera fruges,
Os habet, hoc totum patria corpus alit.
Impenſis ductuque tuo Volaterra repulſas

Ac-

Accepit leges, haec ſua dextra fuit.
Pene puer laevamque manum, clypeumque dediſti,
Cum tuta a miſera ſeditione fuit.
Praemia certa manent juſtos, rata poena nocentes:
Hiſce urbem pedibus comprobat ire Solon.
Praeterea auratos poſito ſqualore capillos
Compſit, & aurata candida veſte nitet.
Hoc decus educti templorum ad ſidera ſumptus,
Hoc Medicae praeſtant ardua tecta domus.
Sic patriam gignis Laurens, educis, & ornas:
Patria ſic vero te vocat ore patrem.

AD LAURENTIUM EXTEMPORANEUM EPIGRAMA.

O EGO quam cupio reducis contingere dextram
Laurenti, & laeto dicere laetus ave:
Maxima ſed denſum capiunt vix atria vulgus,
Tota ſalutantum vocibus aula fremit.
Undique purpurei Medicem pia turba ſenatus
Stat circum, cunctis celſior ipſe patet.
Quid faciam? accedam? nequeo, vetat invida turba:
Alloquar? at pavido torpet in ore ſonus.
Adſpiciam? licet hoc, toto nam vertice ſupra eſt:
Non omne officium turba moleſta negas.
Adſpice ſublimi quem vertice fundit honorem
Sidereo quantum ſpargit ab ore jubar.
Quae reducis facies, laetis quam laetus amicis
Reſpondet nutu, lumine, voce, manu.
Nil agimus, cupio ſolitam de more ſalutem
Dicere, & officium perſoluiſſe meum,
Ite mei verſus, Medicique haec dicite noſtro,
Angelus hoc mittit Politianus, ave.

IN LAURENTIUM MEDICEM.

CUM commiſſa ſibi tellus male fida negaſſet
Semina, & agricolae falleret herba fidem:
Protinus optatas patriae tua dextera fruges.
Obtulit, & celerem juſſit abire famem.
Nec mora, Piſeïs commutas ſedibus urbem
Servatam, & nimio tempore lentus abis.
Heu quid agis? patriae Laurens te redde gementi:
Non facta eſt donis laetior illa tuis.
Moeſta dolet, malletque famem perferre priorem,
Quam deſiderium patria ferre tui.

IN LAURENTIUM JULIUMQUE PETRI FILIOS.

NEC tanta Oebalios tenuit concordia fratres.
Nec tanto Atridas foedere junxit amor.
Implicuit quanto Medicum duo pectora nexu
Mitis amor, concors gratia, pura fides.
Unum velle animis, unum eſt quoque nolle duobus,
Corque ſibi alterna dant, capiuntque manu.
Eſſe quid hoc dicam Juli, & tu maxime Laurens,
An ne duos una mente calere putem?

IN ALBIERAM SISMUNDI STUPHAE SPONSAM.

VIVEBAM, fato ſum rapta Albiera, coniux
Siſmundus vitam reddidit en iterum:
Nam faciem, & claram caelato marmore formam,
Ingenium, & mores carmine reſtituit:

Ber-

BERNARDO BEMBO VENETO ORATORI, VIRO UNDECUNQUE ELEGANTISSIMO.

UT miſeros quondam nautas Acheloja Siren
In poenam traxit carmine blandiſono:
Sic Bernarde tuo quemvis ſuccendis amore,
Seu quid mente agitas, ſeu geris, aut loqueris.
Si cauſſam Veneti tutaris Bembe ſenatus,
Mox Pitho in labris ſtat veneranda tuis.
Seria ſi tractas, credam tractare Minervam:
Si joca, dat puros gratia nuda ſales:
Carmina ſeu cantas, tibi Muſae in pectore cantant,
Sive taces, tacito ridet in ore lepos:
Si graderis, placido non dura modeſtia vultu
Eſt comes, & dulcis cum gravitate modus.
Blandus honos veſtem furtim componit, ovanſque
Te circum plena ludit amor pharetra.
Fronte decor, ſedet ore fides, in pectore candor,
Inque tuis omnes ſunt oculis Veneres.
Sic nos devincis, nec vinctos Bembe relaxas.
Sic te quiſquis adit, mox tua philtra bibit.
Fruſtra ad te florem Cylleni ferret Ulyſſes,
Sed pro te optaſſet linquere vel patriam.

JACOBI BONFADII VERON.

CARMINA.

MOENIA cum Saloi, & Benaci littora linquo
Dextra iter ingreſſi per opaca, & florida rura
Me brevis, & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyaeo,

Et placitum altrici ſemper frondentis olivae.
Planities jacet in ſummo cultiſſima: primo
Hujus in ingreſſu oppidulum eſt: Salaminius olim.
Fadius egreſſus patria, Patavique ſecutus
Fundatorem urbis, poſuiſſe in littore ſedem
Dicitur: atque plagae mox acri incenſus amore
Hunc optaſſe locum Gazae: quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat: tum nomine ab illo
Gazanum dixiſſe propinquas collibus arces,
Claraque magnanimum ſtabant monimenta virorū.
Sed rerum abſumptrix, retroque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terraſque jacentes
Lataque Benaci protendere in aequora poſſum.
Vicini montes Boreae de parte; reducit
Et qua Sol radios, quaque altas abdit in undas,
Circumſtant: facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert. ſaepe indigenae videre ſedentem
Pana Deum Arcadiae, calamos cum inflaret in altis
Rupibus, & nymphas per ſibila laeta vocaret,
Nymphas, quae plexis redimitae tempora ſertis,
Paſtorum loca ſola petunt, ſilvaſque pererrant,
Omnia complentes luſu, dulcique cachinno.
Naïades quibus aſſultant de rupibus imis,
Solem ubi ad Heſperium praepingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis:
Quem dulces aurarum animae comitantur, & alis
Per placidum levibus volitantes aëra circum,
Omnem divinis miſcent afflatibus oram:
Dilecta ora mihi, Italiae ridentis ocelle,
Naturae laetantis opus, ſancta ora Deorum,
Quam laetus gelidos fontes flexuſque tuarum
Lympharum, Tempeque ſoli, caelumque reviſo:
Quam-

Quamque libens vix ipſe mihi credo aequoris undam
Tyrrheni, & Calabrum ſaltus liquiſſe nivales;
Inque tuo incolumis gremio reſidere virenti.
Salve altrix antiqua, boni ſalvete receſſus,
Et gaudete: Genique loci tu candide, fidi
Voſque Lares placidi veſtro cum numine amico
Eſte mihi; & noſtrum tandem lenite laborem.
Te vero & moneo, & quantum me diligis Alcon
Oro, care Alcon, quamquam tua rura reliqui
Invitus, partemque ſui mens aegra requirit:
Ne mihi commemores Atheſim, neu tecta venuſtae
Alta Coloniolae, juvat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inviſere ſaepe ſodales:
Qui lateri noſtro ſeſe agglomerare ſolebant
Olim, cum primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris.
Ut ſatis aequo animo non me divellere poſſim.
Sed cum ſe primum decreſcens fregerit aeſtas,
Ridebit placido cum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repoſtas
Flaminii ad ſedes, ripae ulterioris in arois.
Huc occurre mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formelli, & laetos Amathuntidis ibimus agros.
Rodulpho interea, qui ſe caeleſtibus aequans
Divis, purpureo, atque ardenti in murice fulget,
Quemq; viã monſtrante aequi, magnũ inclyta patrẽ
Roma colit, ſtatuam patriis in montibus aras.

AD CARD. RODULPHUM PIUM.

CARPENSEM.

BENACI in ripis, agitur nunc tertius annus,
Pro noſtris poſita eſt viribus ara tibi.

Hic ego tum coepi non infelicibus auſis
Te canere, & ſacris urere tura focis.
Gaudebat Geniuſque loci, noſtrique nitentem
In lucem laeti ſe explicuere lares.
At poſtquam gelidis illa eſt inſeſſa pruinis,
Et deſerta tuo numine ſola fuit,
Ipſi etiam montes deploravere querelam
Noſtram, Benacus ſenſit & ipſe pater;
Et ferruginea ſparſit caligine ripas:
Omniaque ex illo triſtia viſa mihi.
Magne Pater, veluti aethereus praeſentia fulgor
Qui late ardenti tempora luce reples,
Aureus e gelidis Titan jam flexibus anni
Vertit ad aeſtivum lumina clara diem.
Tu quoque jam propior factus, converte benignos
Ad me iterum adſpectus, lumina amica tui.
Non erimus dono indecores. quod ſi tibi cura
Pulſa mei, nec jam te ratio iſta movet;
At moveat natura tua inclyta; quique ſub alto
Antiquae laudis pectore vivit amor.
Et placidae excellens moveat praeſtantia mentis
Illa tuae; quae Diis te facit eſſe parem.
Tu Princeps, tu ſacrum oraclum: hic munera nobis
Et mens, & manus, & vox tua pollicita eſt.
Ne, quaeſo, ne deſtituas, neu temne dicari
Meque, lareſque meos, & mea ſacra tibi.
Interea ardentis ſemper te mentis habebunt
Templa meae: tibi in his uram animum, atque animã.
Sentiri nequit hinc odor; & ſi poſſit, odores
Vincat Panchaeos, vincat & Aſſyrios.

PAUL-

PAULLI MANUTII

AD EOS, QUI PRO BONFADII SALUTE LABORABUNT.

DILECTAE muſis animae, Jovis unica cura,
In quibus & rectũ, & longos extincta per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet,
Et tu, qui docti dux inclytus agminis anteis,
Magnanime o juvenis Grimoalde, quis ille, quis eſſe
Tam culto ingenio poſſit, tam divite vena,
Officium veſtrum qui verſibus exprimat aptis?
Lapſus erat miſer in culpam Bonfadius. index
Detulerat patribus, nec inani teſte probarat.
Quid facerent legum cuſtodes? legibus uti
Coguntur: dignum eſt: ſervantur legibus urbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuntius interea triſtis percuſſerat aures
Omnium amicorum. veſtris dolor haeſit acerbus
Mentibus: afflicti propere concurritis omnes.
O pietas, o priſca fides, vos crimine duro
Oppreſſum, & multis inviſum, non tamen ipſi
Pendentem extremo caſu liquiſtis amicum,
Pugnaſtis precibus, fletu pugnaſtis amaro,
Si poſſent flecti ſenſus, menteſque ſeverae.
Eſt etiam minime dubio ſermone relatum,
Argenteo atque auro multos cupiiſſe redemtum:
Docta cohors quid agis? turbatis navigat Euris
Spes tua: vana petis, portuque ſalutis aberras.
Ne lacrimas, ne funde ultra: deſiſte precari.
Suſcipis ingratum ſtudium, ſterilemque laborem

Fixa manet duris ſententia legibus atrox.
Si fecit, pereat: functum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile: quod non
Frangere vis hominum, non flectere gratia poſſit.
Exprimitur tandem hoc invito a judice, vivus
Ne comburatur crepitanti deditus igni.
Tum ſe carnifici ſaevo Bonfadius ultro,
Mente Deum ſpectans, animo imperterritus offert:
Ille miniſterio propere functurus iniquo,
Terribilis rigidam ſuſpendit ad alta ſecurim.
Quem feris ah ſcelerata manus? quam nobile collum
Percutis ignoras, & quo te ſanguine tingis?
Hic, qui proſtratus jugulum tibi porrigit, a te
Fortiter exſpectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus & numeris, & molli doctos avena,
Cum caneret verſus muſis, & Apolline dignos,
Aërio ſacras deſcendere mente camoenas;
Atque habitare tuo Benace, in littore juſſit.
Hic & Romano eloquio, & praecellit Etruſco,
Manſuetus, facilis, dulci ſermone diſertus.
Haec tu non audis: ſed inanibus irrita ventis
Mandantur, quaecumque loquor: tu parcere neſcis:
Eximios, humileſque feris diſcrimine nullo.
Sic viſum eſt ſuperis. mutari fata nequibant.
Fixum erat, ut damnatus, & acri judice victus,
Bonfadi, ante diem Ligurſi morereris in urbe.
Urbs praeclara viris, urbs claſſe inſignis, & armis
Barbaricae gentis magnis decorata trophoeis,
Cur veterem a nobis, cur fidum avellis amicum?
Non tamen obſcurus perit, aut inglorius: exſtant
Scripta viri: quae poſteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in hiſtoriis ſeros memorata per annos
Ge-

Genua florebis viridi cum laude: & ab illo,
Quem tu extinxiſti, tibi lucida gloria ſurget.
At tu; cui miſer extrema Bonfadius hora
Aſperſam lacrimis miſit per ſcripta ſalutem;
Flos Ligurum Grimoalde, tuae decus urbis, & orbis,
Et vos o Phoebo ſacri ſtudiiſque decoris
Egregii juvenes, moeſtum lenite dolorem.
Jam ſat honorifico celebraſtis funera fletu:
Jam ſatis officio, ſatis & tribuiſtis amori:
Nec veſtrum ſtudium, pietas nec veſtra latebit,
Sed clarorum hominum ſemper noteſcet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequivit
Officio, ſtudioque pares perſolvere grates,
Has qui perpetua vobis cum laude rependat,
Forſitan alter erit, vel jam eſt, multique ſequentur.
Vive diu ſtudioſa manus, doctamque Minervam
Excole: quae veſtras divino nectare mentes
Paſcet, & extremum tribuet per ſaecula nomen.

FRANC. MARII
MOLSAE
CARMINA.
AD CESAREM.

DUm te Seirenum retinet terra hoſpita Caesar,
Sebethus riguo qua fluit amne pater,
Poſtq; graves pelago exhauſtos terraq; labores,
Queis auxit titulos Africa tonſa tuos,
Hoſpitio indulges: clypeique oblitus, & haſtae,
Jure tua ſequeris commoda parta manu.
Roma tibi auratos componit ſedula currus,
Queis vectus ſacra conſpiciare via.
Captivos addit famulis cum fluctibus amnes,
Multaque diverſis oppida capta locis.
Tum ſuper his tumidi late maris exſtat imago:
Caerula victrici marmora claſſe latent.
Ipſe fugam male fiſus aquis, levibuſque ſagittis
Admiſſo captat Arriadenus equo.
Mox Nomadum gentes, Mauriſiaque agmina cernas
Tendere captivas ad tua frena manus.
His te muneribus ſupplex veneratur, & ora
Abſentis ſperat cernere poſſe dei.
Quin de ſeptenis vox eſt modo collibus ingens
Exaudita, moras increpitare tuas.
Parthenope ſat culta tibi eſt: linque otia Caesar
Iſta ſolet ſummis ora nocere viris.
Quos tu nunc victos juſtis ulciſceris armis,
Deliciis eadem fregerat ante ſuis.
Carpe viam. tibi priſca ſitum jam marmora ponunt:
Et

Et Latii facies jam nova facta fori eſt.
Aequaque diſpoſitis conſurgunt tecta columnis:
Arte rudes nulla quae incoluiſtis avi.
Miles inofenſo ſimul ut pede quiſque vagetur,
Sternitur aſſidua glarea dura manu.
Et disjecta ſilex apta conjungitur arte,
Cunctaque in aequales compita ſecta vias.
Victor Io, bellator Io, quid noſtra moraris
Gaudia? ſunt coeptis haec quoque digna tuis.
His mihi CAESAR enim viguit dum nomen in oris;
Nil niſi Romanum ſub Jove terra tulit.
Hinc progreſſa olim divi tela horrida Juli,
Terrarum late perdomuere ſola.
Vix bene Romuleis CAESAR conſederis arvis,
In caelum cum te gloria ſumma feret.
Ex tuto hinc regum poteris contundere vires:
Victori inſultet gens modo ſiqua ſuo.
Communi pater auſpicio Romanus inibit
Foedera, queis geminum ſcandet ad aſtra jubar.
Huc ades, en celebres iterant Capitolia plauſus:
Sume triumphali lora regenda manu.
His tua jandudum debetur laurea templis,
Et junctus niveis currus eburnus equis.
Ecce tibi intacta nivei cervice juvenci
Ad pingues properant procubuiſſe focos.
Ecce tuos cogit victoria laeta jugales
Ad frena, aeternum eſt quae tibi facta comes.
Aſpice ut hibernis vernet tibi menſibus aeſtas,
Utque hieme in media floreat omnis ager.
Obductum nulli praecingunt aethera nimbi,
Ducta nec obtuſi eſt luminis ulla dies.
Scilicet eventus ſunt omnia laeta futuri.
Subſcripſit votis Juppiter ipſe meis.

AD

AD BENEDICTUM ACCOLITUM CARD.

ME tenet invitum (fieri quod poſſe negabam)
Romani genius mi Benedicte ſoli.
Nam quoties animo ſpatia interjecta recurſant:
Disjuncti queis nunc cogimur eſſe procul:
Non mihi Phaeacum dentur ſi mollia rura:
Quidquid & Alcinoo parturit almus ager:
Ulla queant aegrotum animum deducere Tempe:
Nec ſine te regum commoda magna juvant.
Scilicet illa in me reciderunt fulmina dextra,
Quae Vaticano ſunt modo torta Jove.
Cum tibi mille acies, intentaque pectore tela
Una animi virtus reppulit alma tui.
Mox contemptor opum, nullo non vulnere preſſus
Fortunae, Eridani pinguia culta petis:
Aemula qua magnae ſurgit Ferraria Romae,
Hoſpitio tellus facta beata tuo.
Herculis hic primum vultu, dextraque petitus
Naufragii tabulas colligis ipſe tui.
Atque opibus tanti ſubnixus principis, idem,
Qui fueras, rebus incipis eſſe bonis.
Ambuſtum Phaëtonta olim ſic gurgite molli,
Os ſacrum attollens, excipit Eridanus:
Vulneraque exiccat, lymphis, muſcoque virenti,
Membra prius crebris ictibus uſta fovet.
Conveniunt virides paſſim antra ad cognita nymphae
Fidentemque nimis ſuſpiciunt puerum.
Ille animam revomens, & ſacros fulminis ignes,
Undoſam complet ſulphure, & igne domum.
Tum pater Eridanus fatorum arcana reſolvens,
Innixus cubito talia verba dedit.

Tem-

Tempus erit, magnus noſtra haec cum littora adibit
  Hoſpes, fulminea tactus & ipſe face:
Qui ſecum Phoebumque vehat, Phoebique ſorores:
  Et doctae quicquid Pallados ora ſonant.
O ego tunc quantis aſſurgam fluctibus ingens,
  Arduus ut caelo cornua ſumma feram.
Creta Jovem jactet, Latonae pignora Delos,
  Accoltus longum littora noſtra colat.
Hactenus Eridanus. faciles quae dicta puellae
  Certatim denſis plauſibus excipiunt.
Ipſe pater leni compeſcens murmure fluctus,
  Caerula pacatis marmora findit aquis.
Fortunate, tuos jam tum praeſenſit honores,
  Flammatum ablueret cum Phaëtonta Padus.
At mihi jucundae perſtent ſi tempora vitae,
  Abſtineantque avidas invida fata manus:
Qualis apis, verni ſpecies cum temporis egit
  Trans pontum, celeri frigore pulſa fuga.
Crura thymo redolens florum per ſumma vagatur,
  Compleat ut dulces, cerea texta, favos,
Talis ego Aoniis muſarum operatus in antris,
  Intexam chartis te Benedicte meis.
Quod ſi me tenebris ſuprema obduxerit hora,
  Et mutos cineres flebilis urna teget:
Laudibus ipſe tuis felix, aevoque fruare,
  Et Pylii ſuperes ſtamina lenta ſenis.
Noſtraq; praeteriens magnus dic buſta ſacerdos,
  Huic miſero fatum ſors mea dira fuit.

IN PAULLUM III. PONT. MAX.

ASPICE, dum rapidis ſaevit fervoribus aequor,
  Ut medio fregit ſe calor ipſe die,

Ut

Ut molles ſpirant Zephirus felicibus aurae,
Dulcius & ſolito murmurat omne nemus;
Utque ſui oblitus, flammis quae exuſſerat ante,
Jam reficit pulſa Seirius arva ſiti.
Ipſe pater demto tandem luctamine Tibris
Labitur, & placida ſe trahit amnis aqua:
Et, qua vix ulli poterant procedere remi,
Tranſvolitat nullo remige nixa ratis.
Quin mihi, quae toto muſas Helicone cienti
Vix poterant juſtis verba coire modis,
In verſum conjecta fluant, ſubitoque calore,
Non accerſito cuncta nitore cadunt.
Scilicet ipſa parens rerumque & provida fati,
Venturae pacis omina certa dedit.
Dii Latias tutantur opes, & praeſide PAULLO
Deſpicit hoſtiles Itala terra minas.
Non ille aeſtivumque canem, non torrida Cancri
Sidera, non longas extimuitque vias.
Dura nec infirmae properant dum fata ſenectae,
Invitum longa detinuere mora.
Sed tandem diris confectum ut cladibus orbem
Sublevet, & certa foedera jungat ope,
Non piget ignotis vitam traducere terris,
Aut trabe piscoſum ſollicitare fretum.
Dant caedes, dant bella locum, poſitoque flagello
Bellona inviſae commoda pacis amat.
Et quocunque caput canis venerabile praefert,
Candida pone ſubit, ſubſequiturque quies.
Nempe erat hoc, tota nuper quod Juppiter urbe
Intonuit laevum, certaque ſigna dedit.
Et Capitolinas jaculatus fulmine ſedes,
Devovit telis bella cruenta ſuis.
Divinam agnovit vocem, monituſque deorum,

Men-

Mente homines PAULLUS qua ſuper unus abit.
Moxque deo plenus, cunctis retinentibus, urbis
Suſtinuit lacrimas poſſe videre ſuae.
Viſendi ſtudio concurrunt undique gentes,
Exoptat reditus & ſibi quiſque bonos.
Utque alios ſervet, nullis non fluctibus illum
Objectare ſacrum flentque, timentque caput:
Quodque ſenex obeat tantum telluris, honorum
Decernunt omnes huic merito titulos.
Laetus Alexander, magnae ſpes altera Romae,
Ad latus it tanto conſpiciendus avo:
Et cunctos inter ſidus juvenile refulget:
Qualis ab aequoreis Lucifer ardet aquis.
Contudit iſta truces animos clementia regum,
Et tardat promtas ad fera bella manus.
Hinc tantum venerata virum gens effera quaeque
Admitti ad ſacros orat, avetque pedes.
Hinc prono expoſcit pacem diademate Gallus:
Hinc ferrum in ſaevos vertis Ibere Scythas.
Vos, quibus eſt odium vallum geſtare, ſedemque,
Et galea nitidam ſumere fontis aquam,
Longinquis voti compos cum Paullus ab oris
Optatos vultus, oraque ſacra refert,
Dicere jam reduci meritas accingite laudes:
Nomen & abſentis concelebraſſe juvet.
Perque vias turis paſſim incendantur honores,
Et velent ſanctos florida ſerta focos:
Exhilarentque dapes, & vina liquentia menſas,
Nec renuat feſta quiſque madere die:
Inque orbem cyathos referens, non lente miniſter,
Fac pariter Paullum denſa corona ſonet.
Huc ades afflictis ſpes O fidiſſima rebus,
Uno quo fulta eſt publica cauſa duce:

Vin-

Vindice quo firmis tandem radicibus haerens,
Libertas magno parta labore viget.
Quam bene, te invita nuper cum mitteret urbe,
Arces reſpexit Juppiter ipſe ſuas.
Jungite jam tauros pueri, atque incumbite aratris:
Laetaque mollito credite farra ſolo:
Jucundamque ſimul palis adjungite vitem,
Unde etiam nato ſerior umbra cadat.
Occupet hoſtiles vicino milite campos
Squalor, & abducto vomere ceſſet humus.
Et quem Turca ferox nobis injecerat, illi
Nunc regerant triſtem claſſica pulſa metum.
Illi ferratos duris incudibus enſes
Procudat triſti ſedulus arte faber.
At nobis placeatque bidens, vomiſque probetur,
Et paſtorali fiſtula facta modo.
Tum circum innumera floreſcant oppida pubes
Inſanus ferri quae viduarat amor.
Dii modo felices annos, & candida Paullo
Diſpenſent larga ſtamina ducta colo:
Ut toto demum felix Oriente ſubacto,
Quae facit ipſe aliis, otia longa terat.

AD SODALES GRAVITER AEGROTUS.

ULTIMA jam properant, video, mea fata ſodales,
Meque aevi metas jam tetigiſſe monent.
Si foret hic certis morbus ſanabilis herbis,
Senſiſſem medicæ jam miſer artis opem.
Si lacrimis, veſtrum quis me non luxit? & ultro
Languentem toties non miſeratus abit?
Obſtruxere aures noſtris contraria votis
Numina, & haec ventos irrita ferre jubent.

Vos

Vos mihi, quos olim colui, dum fata ſinebant,
  Ultima jam cineri dona parate meo.
Vobiſcum labor hic fuerit, quando his procul oris,
  Ignara heu noſtri funeris, uxor abeſt:
Uxor abeſt, noſtrique diu ſtudioſa videndi
  Pro reditu patriis dona vovet laribus.
Haec potuit praeſens, nato comitata, feretrum
  Floribus, & multa compoſuiſſe roſa:
Et nivei lactis fontes libaſſe, merique,
  Conjugis ut manes ſpargere maeſta queat.
At, qui me extrema compellet voce ſodalem,
  Et claudat tenera lumina noſtra manu,
Et fugientem animam ſuprema exceperit hora,
  Hoc vos communi pro pietate rogo.
Non operoſa peto titulos mihi marmora ponant,
  Noſtra ſed accipiat fictilis oſſa cadus:
Exceptet gremio quae mox placidiſſima tellus,
  Immites poſſint ne nocuiſſe ferae.
Rivulus haec circum diſſectus obambulet, unda
  Clivoſo qualis tramite ducta ſonat.
Exiguis ſtet caeſa notis ſuper oſſa ſepulta,
  Nomen & his ſervet parva tabella meum.
Hic jacet ante annos crudeli tabe peremtus
  Molſa ter injecto pulvere paſtor abi.
Forſitan in putrem longo poſt tempore glebam
  Vertar, & haec flores induet urna novos.
Populus aut potius abruptis artubus alba
  Formoſa exſurgam conſpicienda coma.
Quicquid ero, veſtra haec pariter deſcendet in imam
  Tellurem pietas, Elyſiumque nemus.
Quod mihi ſi tumulo vobis curantibus arbor
  Ingruat, & virides explicet alta comas:
Quae circum nitidis, aeſtus dum ſaevit, obumbret

Fron-

Frondibus, & ſciſſam tegmine opaceet humum,
Jam mihi pyramides, regum monimenta valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet.
Scilicet huc, diti pecoris comitata magiſtro,
Conveniet feſto pulcra puella die:
Quae molles ductet choreas, & veſte recincta
Ad certos norit membra movere modos.
Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum.
Hic aliquis flavo cum Corydone Mycon:
Et cantare pares, & reſpondere parati
Alternis certent vincere carminibus:
Quorum aliquis forſan crudeli funere raptum
Me gemat, & lacrimis polluat ora piis.
Ac miſero inſtauret funus, ſternatque ſepulcrũ
Floribus, & nomen tollat in aſtra meum:
Et dulci referat muſarum ut captus amore,
Suſtinui patriae linquere tecta puer:
Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,
Regales potui deſeruiſſe domos:
Utque ſub umbroſae quercus, platanique virentis
Maluerim denſa delituiſſe coma,
Quam Tyria pictum chlamyde, auroque intertextum
Captatis vulgi plauſibus urbe vehi.
Tum faciles memoret mores, & puriter acta
Percurrat vitae tempora quaeque meae.
Non ego Lutheri volvens monimenta, neſandis
Germanum populos ritibus implicui.
Non mea mortiferos porxit tibi dextera ſuccos
Hippolyte, Auſonii flenda ruina ſoli:
Auſpicio externas cujus tandem Itala tellus
Abjectas Medica cuſpide ſenſit opes.
Te rigidi ſtupuere Getae, Rhenuſque bicornis,
Et tremuit famulis frigidus Iſter aquis;

Miles

Miles ab Eoo veniens cum littore Nili,
Ingemuit latebras tam procul eſſe tibi.
Ultorem nobis talem te te affore, penſa
Ferrea quae ducunt praemonuere Deae.
Sed tantum terris quis te oſtenſura putaſſet
Numina, tamque brevi tot peritura bona?
Itala res tecum periit, tecum Itala virtus.
O nimis immiti ſtamina rupta manu.
Cuncta ego quae Latii dulces vulgare per oras
Dum propero, & laudes dicere Magne tuas,
Ante diem Elyſios cogor cognoſcere campos,
Implet odoratum qua pia turba nemus.
Illic ne incerta ludar regione viarum,
Occurras vati nobilis umbra tuo,
Et myrto cinctum caput, aut Daphneïde fronde,
In tibi vicino me velis eſſe loco.
Interea dulces coetus valeatis amici,
Jam vocat in nigros mors tenebroſa lacus.
Increpitatque moras Lethaeae portitor undae,
Et remi auditus per loca ſenta fragor.
Dii tamen in melius vertant haec omnia, ſi quem
Humanis precibus non pudet eſſe locum.

AD CEREREM.

HAEC tibi, magna Ceres, Daphnis jam meſſe peracta
Affixit foribus ſpicea dona tuis.
Tu dea fac illi jacto de ſemine rurſus
Falcem hebetent valida gramina ſecta manu.

DE HIPPOLYTO CARD. MEDICE.

HIPPOLYTUM Medica cernis qui gente viator,
Et juvenem ignota veſte nitere vides.
Cur oſtro tectus non ſit ſi forte requiris,
Accipe & haec placida perlege mente precor.
Danubii ad ripas hic quondam cultibus acrem
Summovit Turcam finibus Auſoniis.
Ultima Bactra olim vireſque Orientis & Indum
In noſtrum veheres cum Solimane caput.
Jure igitur ſumtis colitur dux maximus armis,
Quorum praeſidio libera turba ſumus.
Ipſum alias decuere ſacrae redimicula mitrae,
Et preſſit flavas infula pura comas.
Hic diverſa novos diſpenſant tempora cultus:
Tu modo victorem ter veneratus abi.

AD PHOEBUM.

HUNC tibi, Phoebe pater lunata fronte juvencum,
Tibris qua undoſo largius amne fluit,
Alcimedon jactata alte poſt terga ſecuri
Mactat, & in ſacros porricit exta focos.
Tu ſi ſaevitum eſt ſatis, & ſi caedis abunde,
Poenarum exſoluit ſi tibi Roma ſatis,
Illuviem hanc expelle, inimicaq, tela retunde,
Et melius Turcas mitte perire feros,
Qui cinxiſſe Rhodon preſtãt nunc fortibus annis
Dilectam, & cives perdere claiſſe tuos.

AD

AD LACUS.

E GELIDI ſalvete lacus muſcoque virete,
Veſtraque ſit puris dulcior unda favis.
Ac veluti inſignit multo vos nomine princeps
Veſter, ab Eois notus ad Heſperios:
Vos illi tumidos fluctus lenite viciſſim,
Et blanda errantes pervolet aura rates.
Et facite iu veſtris ſi fors piſcabitur undis,
In jacta ut multus retia piſcis eat.

IN PAULLUM TERTIUM PONT. MAX.

ANNUA redierant Tertii ſolennia & ignes
Urbs ſeptem extulerat collibus alta ſuis,
Intonat ecce tibi laeva cum Juppiter arce,
Et caelum flammis occupat aethereis,
Cedite mortales divinis ignibus ignes,
Et ceſſent gemitus aera ciere graves.
Ipſe deus Paulli ſummos teſtatur honores,
Emicat, & feſtos curat obitque dies.

EPITAPHIUM LASCARIS.

LASCARIS hic ſitus eſt Janus, quo ſoſpite Graium
Res olim fractae non potuere capi.
Hic etenim in Latium dilectas Palladi Athenas
Detulit, & gemino mox dedit ore loqui.
Saepe etiam Regumque animos, populoſque feroces
Cecropio flexit tum ſale, tum numeris.
Annoſi donec confectum viribus aevi,
Exitio obrepens curva ſenecta dedit.

Felicem ante omnes ſolio qui pulſus avito,
Tam procul hic patria contegeretur humo.

JOVIS CUM NEPTUNO PRO CLASSE CAESARIS EXPOSTULATIO.

CAESARIS infauſto depreſſam ſidere claſſem
Viderat e ſumma providus arce pater:
Cum fratrem increpitans moeſtis ſic vocibus infit,
Subdita quem ponti caerula regna tremunt:
Quid ſuperum magnis ſolus conatibus obſtas,
Et perſtas ſanctum tollere velle caput?
I tandem, & tellus quas non detrectat habenas,
Indomitus quamvis; tu quoque diſce pati.

PAULLI PANSAE

DE MOLSAE OBITU.

ESSE deos credam? credam pietate moveri
Numina credam igitur curam hominũ eſſe Jovi?
Cur credam, ſi fata preces, juſtaſque querelas
Deſpiciunt, ſacris & data tura focis?
MOLSA tuus vates, Muſarum gloria, Phoebe,
Occidit, ah pietas, ah pudor, ah facinus.
Dic ubi eras cum tabificus conſumeret artus
Morbus, & inficeret pectus & ora lues?
Nunquid in Aonia ludebas valle, madentem
Aut crinem aptabas dente citoriaco?
An lotus niveos humeros & candida colla,
Tangebas blandae fila canora lyrae?
An feſſus nimio cantu per florea Tempe
Captabas ſomnos ad leve murmur aquae?
Scilicet innumeris donis ornabimus aras,

Con-

Concidet & templis hoſtia ſacra tuis,
Ut tu ignavus, iners, nulla exorandus acerra,
Vota leves jubeas irrita ferre notos.
I nunc & medicae inventorem dicier artis
Te jacta, & ſoli gramina nota tibi.
Tene putem ſtraviſſe manu Pythona ſuperbum,
Aeſculea unde virent Pythia ſacra coma?
Tene Jovi Phlegrae pugna faviſſe, deiſque,
Narretur ſaeclo fabula ficta rudi?
Ah pudeat geſtare arcum, imbelleſque ſagittas,
Pone arcum & pharetram, tela reconde tua:
Abde tuos vultus latebris, te claude barathro,
Laurea non victrix convenit ulla tibi.
Et vos ite procul, jam non moror, ite Camoenae.
Quas licet heu ſero, me coluiſſe piget.
Veſtrum erat exorare necem, exorare ſororum
Jura trium, & multa flectere fata prece.
Roboris, heu, tantum mors, eſt tibi, tanta poteſtas!
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe nefas.
Illi non elegi, poterant qui ſaxa movere,
Et ferri & chalibis vincere duritiem,
Illi elegi languens fudit quos funere in ipſo
Flexere! o ventis durior & ſcopulis.
Heu res ancipites, heu vota incerta! quid eheu
Sperandum, heu fragilem vitam hominumq; brevem.
Certatim huc omnes docti properate poëtae:
Publicus oſtendat publica damna dolor,
Et taxo impliciti crines algaque fluenti
Plangite funeſtis pectora veſtra modis.
Omnibus idem animus, color unus, vultus & unus,
Affectis qualis moeſtitia eſſe ſolet:
Fundite & Aſſyrios ſuccos, date lilia paſſim,
Atque Arabum verno rore madeſcat humus,

Huc caltha, & caſia, & thymbra plenos calathiſcos:
Adferte, & capuli cingite fronde latus.
Solvite lugentes gelido ſolennia buſto,
Cereus & longo luceat igne focus.
Spumantes Baccho pateras, & cymbia lactis
Vergite, & Actaei mella liquata favi.
Ter luſtrate rogum, tumulum ter ſpargite lympha
Dicite ter Molſae molliter oſſa cubent.
Natus ubi eſt? duram ah ſortem! qui lumina patris
Comprimat, & largis fletibus ora riget.
Per Mutinae plateas nunc forſitan ille vagatur,
Proque patris reditu victima multa cadit.
Uxor abeſt miſera, infelix, quae juſta parentet
Ingrata, & peragat funeris exequias:
Uxor abeſt miſeranda, licet nec figere labris,
Oſcula, nec fugientem excipere ore animam.
Haec poſſet flammis ſe ſe immiſcere mariti,
Clarior Evadnae Dulichiaque nuru.
Quod tibi obeſt facinus? quondam ſcelus obfuit? aut quis
Error te damnat? quae tibi culpa nocet?
Ecquid Latonam, veluti Sipyleia mater,
Laeſiſti, an lucus, templaque ſancta deum?
Quaenā haec invidia eſt, aut quod fatum obſtitit, ut tu
Ultima non poſſis dicere verba viro?
Poſtquam igitur conjux fidiſſima adeſſe favillis
Non valet, & Pario ponere verba cado:
Uxoris tu dia vices Victoria ſume,
Aonides crebro quam decimam eſſe putant.
Nec dedigneris Romano ſanguine certa,
Illuſtri quamvis ſtemmate fulta nites.
Claude oculos, miſce violas, contexe amaranthos,
Frigentique genae laurea ſerta para.
Purpureas albis mixtim compone corollas,

Cer-

Certent Paeſtanis cana liguſtra roſis.
Praecipue decus Italidum Gonzagia proles
Julia, quae viduum caſta cubile colit,
Quae forma & virtute omnes Heroïdas anteit,
Phoſphoros exoriens caetera ut aſtra premit,
Defleat, atque Indos mittat lugubris odores.
Et myrrham & nardum, Coryciumque crocum.
Convenit officium tibi Julia, convenit iſtud,
Infelix nec habet quod notet invidia.
Namque tuam divam effigiem, quam vellet Apelles
Pinxiſſe, & Zeuſis Parrhaſiique manus,
Atque animi dotes, divino carmine vates
Extulit, ut ſtupeat ſedula poſteritas.
Lugeat humenti nympha & Tiberina receſſu,
Quae meruit rauco ſaepius ore cani:
Unguibus & laniata genas, laniata capillos,
Pectora percutiat candidiora nive:
Accdivis feretro incumbat, complexaque cippum
Haereat, avelli nequeat unde gemens.
Concita dein qualis Thyas per roſida prata
Curſitet, hinc colles, hinc nemora alta petat.
Clamet, Io, mi Molſa jaces: cur Atropos auſa es
Pendula adhuc tereti rumpere penſa colo?
Lugeat hunc ſpatioſus ager, ſaltuſque relicti,
Compitaque & valles, ruſque & ovile fleat.
Ingeminet queſtus, repetant ſuſpiria Nymphae,
Et luctu & lacrimis perſonet omne ſolum:
Margine in herboſo reſponſent flumina Molſam,
Amiſſum Molſam fonte queratur olor.
Extinctum referant Molſam reſonantia ſaxa,
Molſam iterent montes, Molſam iterent ſilüae.
Caerulus ereptum Nereus gemat, Amphitrite
Augeat Halcyonum, qua patet unda, ſonos.

Paſtores quo ſe referent, quo armenta gregeſve?
Ad mulctram quis aget nocte dieque pecus?
Squalebunt poſthac ſitienti in palmite gemmae,
Et tenerum in culmis perdet ariſta ſatum.
Arebunt per prata herbae, dare poma negabit
Hortulus, irriguae deficient & aquae.
Palladias aeſtus baccas vel frigus aduret,
Arboribus cunctis excutietur honos.
Non foetus dabit armentum, nec vellera, nec lac,
Nec fluet Hyblaeus Cecropiuſque latex.
Quis poſtac juvenum teneros cantabit amores?
Quis Veneris poſthac dulcia furta canet?
Quis Romam & Romae claros deſcribet honores?
Quiſve Sophocleo bella ſonanda pede?
Jacturae heu quantum fecit liquidiſſimus Arnus,
Seu numeros ſeu tu verba ſoluta velis.
Sed jam longa venit feralis pompa ſepulcri,
Occupat en omnes ſexus uterque vias:
Conde, pater Tiberine, caput, cava ſtagna ſubito,
Ne videas flammis ora verenda capi.
Heu fugite; heu properate citae, petite antra frequente
Najades, & querula voce replete lacus.
Siccine dii voluere, aut ſunt haec praemia laudi?
Hocne meret probitas, hoc ne meret pietas?
Nunquid caede nocens foedavit ſanguine dextram?
Miſcuit an puro toxica dira mero?
Ecquid eum Antiphatem Laeſtrigona credidit eſſe
Juppiter, an Tityon, centimanumque Gygen.
Quid prodeſt vixiſſe pium, aut odiſſe profanum
Vulgus, & a ſaevis abſtinuiſſe malis?
Huc adſis Cytheraea, tuum venerare poëtam,
Te videat flentem foemina virque palam:
Ne myrto redimita caput, ſed cincta cupreſſo,

Accende in pullo funere pulla faces.
Frangat amor pharetram, rumpat ſua tela Cupido,
Polluat immundo pulvere & ora Jocus.
Interſit flammae lacrimans Elegeia rogali,
Et tanto incedat funere rauca Chelys.
Et teſtae affigat titulos: hic Molſa quieſcit,
Quo moriente necnon numina & ipſa timent.
Portitor excipiat cymba, ducatque per alveum,
Leniter alludat, Styxque ſecunda rati.
Eumenides procul, atque Erebi procul omnia monſtra
Nec Phlegetontaeae flamma minetur aeque.
Non rota, non ſaxum, non vultur terreat: abſit
Belides infames, Tantaleuſque labor.
Aſt vos illuſtres animae, Heroeſque beati
Qui colitis campos, Elyſiaſque domos.
Ite catervatim, venienti occurrite vati,
Aſſonet Orphaeo pectine pulſa chelys.
Tu tamen ante alios maltum laetare Petrarca,
Et qui Certaldi tollis ad aſtra lares.
Callimachus circumadſtabit, Couſque Philetas,
Et Sulmonenſis gloria prima chori.
Curret in amplexus Sappho, cultuſque Tibullus
Gaudebit fronti compoſuiſſe roſam:
Cynthia quem ſequitur formoſa, Propertius ultro
Aſſurgens ederae tempora fronde teget.
Excipient hilari vultu, & plaudentibus ulnis,
Andinuſque pater, Moeoniuſque ſenex.
Felix ſorte tua vives poſt funera Molſa,
Trans Iſtrum & Gangem carmine notus eris.
Te flent Auſonii populi, te Bethis & Indus,
Te Getulae urbes, te Daca, teque Getae.
Albula praeſertim tumidis immurmurat undis,
Et queritur ſeptem Martia Roma jugis.

Nos etiam ex animo flemus, nos reſpice flentes,
Summe tibi has lacrimas, ſume tibi hos gemitus,
Hos luctus, quando nequeo tibi ponere metas,
Pyramides, ſtatuas, ſigna & ahena dare.
Hos queſtus cape, & haec ſuſpiria, qualia mater
Primaevi nati mittit in inferias:
Cultoriſque tui vocem cognoſce ſupremam,
Sic o ſit cineri luxque quieſque tuo.
Ter, ſalve, o longumque vale, cariſſime Molſa,
O ſalve aeternum, Molſa, diuque vale.
Annua paſtores ſolvant tibi ſacra quotannis,
Et pingui ſpargant muta ſepulcra ſero.
Ante tuos veniant manes, agitentque choreas
Et Fauni & Satyri, Panque & Hamadryades.
Populus & platanus, lauruſque acceptior omni
Arbore, te circum fundat opaca comas.
Frondeſcatque thymum, naſcatur amaracus urna,
Somnifero & juxta perſtrepat amne liquor.
Stillet Acidalios flores tibi Daedala tellus,
Continuo divum ſpiret & Ambroſiam.

HIERONYMI AMALTHEI CARMINA.

AD PIUM IV. PONT. MAX.

LUCIDUS ille Aries, fulvo cui tergus amictu,
Cui geminum cornu caelo ſcintillat ab alto,
Hactenus intonſo tulit aurea vellera dorſo,

Nec

Nec ſpoliis unquam ſplendentibus exuit armos.
At poſtquam tenuere PIUM Capitolia, poſtquam
Voce PIUM ingenti montis reſpondit imago,
Quo Latium exultet, quo Rege ſuperbiat orbis,
Divinae quae penſa trahunt fatalia Parcae
Caelituum monitus & grandia juſſa ſequutae
Fulgentes ſecuere jubas, ſecuere beatum
Vellus, & aurato viduarunt tegmine dorſum.
Nec, mora nobilibus penſis, ac divite lana
Centum involventes operoſis orbibus orbes
Fatalem cinxere colum, digitiſque micantem
Dum redigunt in fila globum, nent longius aevum:
Nent fortunatos invicti Principis annos,
Et ſeram numeroſa trahunt per luſtra ſenectam.
Dumqe agilem celeri torquent vertigine fuſum,
Stamina purpureis ſcintillant morſa labellis,
Tortaque lucentes jaculantur penſa favillas:
Et circum inſolito caelum fulgore coruſcat.
At Lacheſis, cui ſcire datum eſt arcana Deorum,
Teſtatur pretioſa PIO ſub rege reverti
Saecula, qui Latium belli formidine ſolvat.
Et ferrum effrenos, & cladem vertat in Indos.
Salve ingens pietate heros Diis aemule ſalve.
Limina qui nitidi referas argentea Caeli.
Et caligantis fauces occludis Averni.
Te duce cana fides, Solymas vexilla per oras
Trans Gangem attollet, trans divitis arva Canopi.
Jam video oblitis trepidum dare terga pharetris
Regnatorem Aſiae, & Scythicis ſe ſe abdere ſylvis.
Non [illegible] fugientem hyemes, non invia montis
Fragmina n[illegible] moti pontes, non flumina ſiſtunt:
Sed pernicis e[illegible] ſtimulans calcaribus armos
Fertur in occultas per inhoſpita luſtra latebras:
Dum

Dum Syrios Italo compleri milite campos
Dum trabibus cingi circumſpicit Helleſpontum,
Sentit, & irato te fulmine pone ſequentem.
O ſeptem gaudete arces, gaudete latinae
Najades, Etruſci colitis quae Tibridis amnem.
Urbibus Eois, totoque oriente ſubacto
Victrices Romanae acies ad veſtra redibunt
Littora, & antiqui Latio reddentur honores.
O quae, magne Heros, o quae felicia ſurgent
Tempora cum gemino creti ſub cardine reges
Et qua ſol rutilum ponto caput exerit, & qua
Senis in optatae gremio ſe Tethyos abdit,
Ad Tiberim unanimes, ad caſta altaria current,
Ut ſacrum accipiant ſupremo in vertice rorem,
Et ſubmiſſa tuis affigant oſcula plantis:
Tum mihi fatalem ſi nondum e vertice crinem
Perſephone abſtulerit, fidibus mea Muſa Canoris
Dulcibus implebit reſonas concentibus auras,
Dum canet, ut profugam revocaris ad otia pacem:
Ut foecunda Ceres te principe onuſta recludat
Horrea, ut immenſas concedat prodiga meſſes:
Et vacuas Liber ſitientibus impleat urnas.
Ipſa etiam irriguos mecum ſpatiata per hortos
Poeonias gremio Nais tibi colliget herbas,
Quas formoſa ſalus medicos cuſtodit in uſus.
At tu fragrantes ne deſpice Poeonis herbas,
Textilibus calathis quas porriget obvia virgo.
His funeſta procul pelles contagia donis,
Et florente diu ſoſpes potiere ſenecta.
Haec autem, haec illa eſt diis non incognita virgo,
Quae ſonitus Curetum inter per devia Cretae
Regem aluit ſuperum felicis lacte capellae:
Cum tener in cunis ſacra vagiret in Ida:

Et

Et nunc illa eadem te pectine cantat eburno.
Sed quid ego o nentes vitalia penſa puellae,
Adſpicio his oculis? decreſcunt ſtamina, dum vos
Aſſiduo nimium veſtitis pollice fuſum.
Nete Deae optati paulatim Principis annos,
Et lenta tenuate manu tam nobile vellus,
Et trahite ad ſeros haec aurea ſaecla nepotes.

AD MAXIMILIANUM

TUNC BOEMIAE REGEM, NUNC IMPERATOREM.

O quae rotatu vecta volubili
Uſtis ab Indis ad gelidos Scythas
Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta ſupercilio coërces:
Ne me per altos divitis Antii
Regina montes, ne per inhoſpitas
Me coge valles fabuloſam
Hinc Panacem legere, hinc Cyperum:
Ut inſalubri qui lue tabuit,
Formidoloſae vim fugiat necis,
Audente me leges Deorum
Paeonio violare ſucco.
O mentis expers Japeti genus,
Mutanda nullo eſt conſilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo ſtatuere ſomno.
Fallacis ergo Paeonis ars vale:
Oblivioſo ſat mea torpuit
Fides veterno. nunc canoros
Tange Erato numeroſa nervos.

Lon-

Longumque rumpens voce ſilentium
Nulli ſecundum concine Principem,
Seu malit armis, ſeu ſagaci
Conſilio ſuperare malit:
Quem nunc anhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris,
Quem mille votis ſepticornem
Vindelici revocant ad Iſtrum.
O ſolve Ibero carbaſa littore,
Et luctuoſas maxime Principum
Solare gentes, & paternos
Exhilara reditu penates.
Qualis reducens poſt tenebras diem.
Sol nigriorem diſcutit aëra,
Regnumque Junonis ſerenat,
Nubibus exiliens fugatis:
Talis reverſus cardine ab Heſpero
Subjecta ſeptem regna trionibus
Caliginoſa nocte ſolves
Major avis, ataviſque major.
Tu bellicoſas frangere fraxinos,
Tu doctus enſem flectere Noricum
Urbes ſubactas, juſque avitum
Eripies Aſiae tyranno.
Tu rurſus urbis Martia Romulae
Vexilla tolles, ſubjiciens tibi
Sol quicquid ambit, quicquid urnis
Uberibus lavit Amphitrite.
Quod ſi ſuperſtes muneribus fruar
Vitalis aurae, me fide Lesbia
Juvabit & praedas, & hoſtes
Dicere compedibus revinctos.
Te Rege latus dum Capitolio

Pare-

Parebit orbis, dulci ego pectine
  Molles in amplexus euntem
    Nereidum Tiberim reflectam.
Sic ſaxa quondam Threicium ferunt
Sequuta vatem, dum per inhoſpitas
  Rupes, ademtam dum per imas
    Quaereret Eurydicem latebras.
Qui poſtquam Averni conſtitit ad fores,
Et cor ahenum leniit Aeaci,
  Flexitque ſuſpenſi bibentes
    Auribus Eumenides querelam,
Heu legis amens immemor, & ſui
Effudit altas fruſtra iterum preces,
  Fruſtra revertentem puellam
    Ad tenebras iterum ſequutus.
Quam mox nivali flevit in Iſmaro,
Flevit ſub Haemi cautibus horridis,
  Seu ferret atras veſper umbras,
    Sive diem veniens Eous.
At tum occupavit plectra ſilentium,
Inſanientum cum Ciconum furor
  Sparſit cruenti membra vatis
    Stipitibus lacerata quernis.
Cum lingua ſacris faucibus eruta
Futura mergis eſca voracibus
  Ter viſa flecti, ter ſub Hebro
    Ah miſeram Eurydicem vocavit.
Sed ſiſte inanem barbite naeniam.
Nunc in beatis Thracius inſulis
  Exultat heros, & repertae
    Conjugis in gremio recumbit.
Quin Martialem dic potius ducem
Illuſtriori carmine, quem legat

Aetas nepotum, donec Atlas
Orbis onus grave ſuſtinebit.

AD HERMETEM STAMPAM.

VALETE aprica montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia:
Veſtris Jolas it procul receſſibus.
Miſelle Jola non videbis amplius
Amata tauris prata mugientibus,
Olente caltha, olente picta amaraco.
Miſelle Jola non videbis amplius,
Dorſo recumbens graminum virentium,
Depraeliantes cornibus juvenculos.
Non tibi ſuſurri fluminum ſonantium,
Non ſibilantes blandientur ilices,
Inire nec ſuadebit aura ſomnulos.
Abire certum eſt, & minaci in aequore
Iras videre inſanientis Africi,
Videre monſtra per fretum natantia,
Et imminentis mille leti imagines.
Amens Jola parce, parce conqueri.
Tibi ſequendum, ſive Nili adjuverit
Hermes latentis ultimas origines,
Inoſpitalis ſive ſaxa Caucaſi.
Quare valete montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia.

AD CAROLUM BORROMAEUM CARD.

IMMENSI dum molem orbis celſi inſtar Atlantis
In Vaticana ſuſtinet arce Pius,
Herculeo tu more humeros ſuppone labori,

Et

Et validis feſſo viribus affer opem.
Magne heros aſſueſce oneri juvenilibus annis,
Longaevo imponent quod tibi fata ſeni.

DE FIDUTIO POETA

O Modo me culti ſuſpiret muſa Fiduti,
Haec mea fatales ſolvite penſa deae.
Solvite, nam fidibus, quem fleverit ille canoris,
Eſt potis aeternas vivere olympiadas.

AD MICHAELEM TURRIUM.

Mille tibi Doris ſervat conchylia ponto,
Mille tibi in ſilva paſcit Janthis oves.
Ut, cum olim proceres que inter, gentemque togatam
Te gremio accipiet martia Roma ſuo,
Altera nympharum tibi vellera tondeat uni,
Altera Sidonio murice tingat oves.

VALERIO SUPERCHIO MEDICO.

Illa adeo formoſa Salus, qua nulla Dearum eſt
Gratior Eois, gratior Heſperiis:
Mille tibi Valeri collegit Paeonis herbas:
Quas tepidus primo vere tulit Zephyrus.
E quibus ut rores poſſis haurire ſalubres,
Gutta ſub impoſito ſtillat odora foco.
Et jubet, ut diſcedat edax e corpore languor,
Te pereunte uno ne medica ars pereat.

AD JOH. PLAZZONUM.

ALBO candidior, poëta, cycno,
Intacta nive, purior poëta;
Cui Cynthi Deus, & novem ſorores
Tingunt Caecropio labella melle;
Ah ne me immemorem tui putato,
Donec Parca meos revolvet annos,
Nam te plus amo quam meos ocellos
Albo candidior, poëta, cycno,
Intacta nive, purior poëta.

AD EUNDEM.

EROSIT caries, vdravit aetas
Verſus quos mea condidit Thalia:
Quos in ſeriniolo latere credit.
Namque carmina vatis imperiti
Vident interitum ſuum repente:
Sicut carmina vatis eruditi,
Qualem ſaecula noſtra te tulerunt,
Suum nunquam videre poſſunt.

JO. BAPTISTAE AMALTHEI CARMINA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD SEBASTIANUM VENERIUM.

AUSA Dei claſſem, ſociaſque laceſſere puppes
Impia gens, Euris ſinuoſa in vela vocatis,
Horruit adverſas acies, fractaſque ſuperbae
Vidit opes Aſiae raptis ſpoliata trophaeis.
Illa per Jonios centeno remige fluctus
Ibat ovans, triſteſque minas, & bella ferebat,
Impuleratque Duces Cretaea a ſtrage recentes
Rurſus in arma vehi, & duro diſcrimine rurſus
Hoſtiles petere exuvias, & Martia ſigna:
Obvia cum triplici ſeſe tulit ordine claſſis,
Auſpicio jam freta Dei, caeloque ſecundo,
Evertitque trucem validis incurſibus hoſtem..
Tum Superum delapſa cohors plaudentibus alis
Irruere, & vacuas viſa eſt rutilare per auras.
Et nunc barbaricas pelago ſubmergere puppes,
Nunc inviſam aciem rapidis inceſſere flammis,
Aut pugnare manu, mediiſque inſidere tranſtris
Aeneadum, & Venetae defendere robora pubis.
Pars autem clypeis venientes excipit ictus,
Aut ſtipata levi circumvolat agmina gyro:
Non ſecus, ac rigui ſi quando ad ſtagna Cayſtri
Candentes liquido glomerantur in aethere cycni,
Imbelleſque agitant volucres, & inertia caedunt
Agmina; ſanguineas zephyrus rotat aere plumas.

Cinge triumphali victricia tempora lauro,
Dux Venetum, cui clara ſuae cognomina gentis
Dat Venus, & ſpolia ampla tuo cape debita Marti,
Servatae columen patriae. tu maximus ille es,
Aequoreae qui primus inis certamina pugnae
Cladem Aſiae intentans: Divi comitantur euntem,
Et curae vigiles, & ovanti gloria plauſu.
Ultriceſque rates, & ahenea mittis in hoſtem
Fulmina, ſuſcepto igne cavis impulſa metallis;
Quo ſonitu tremuere undae, perculſaque longe
Ambracia, & pavidae latuere ſub aequore Nymphae,
Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullae belli facies, amiſſaque terrent
Regna, nec avectae diverſo ab littore praedae.
Nec te animi vigor, & ſeris grave robur in annis
Deſerit, & fracto exuvias ex hoſte reportas,
Eque tua prior emicuit Victoria puppi. (gno
Tum juvenem Imperio inſignem, quem Caeſare ma-
Progenitum virtus per grandia facta parentis
Evehit, & caelum promiſſaque ſidera monſtrant,
Attonitae videre acies in proelia verſum,
Quo pietas, quo laudis amor, quo gloria traxit,
Et belli molem regere, & virtute tueri;
Qualis Atlas humero ſtellantem ſuſtinet axem.
His quoque ab auſpiciis, tantae pars maxima pugnae,
Curarumque comes, ſacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaque ſigna premebat
Vi ſuperans, quamvis crebris maria alta procellis
Secum hyemes, Euroſque trahens, & nubila perflans,
Verberat Orion, fluctuſque illidit arenis.
Quem duo ſectati varia in certamina fratres
Juncti animis ambo, cognato ſanguine juncti,
Romulidae proceres per barbara tela, per ignes
Irrum-

Irrumpunt, Matremque acuunt, ſpoliiſque ſuperbis
Saepe ſuam decorant ingenti mole Columnam:
Ceu quondam Oebalias ſoliti ductare cohortes
Tyndaridae adverſo ſpoliabant milite caſtra,
Inſignes paribus clypeis, quibus aureus enſis,
Et jam tum gemino radiabat ſidere caſſis
Aurea; puniceae volitabant vertice criſtae.
Nunc pharetras, Lyciosque arcus, perfractaque tela
Fluctus agit, laceraeque natant in gurgite pinus:
Et jam trunca virum, diſcerptaque corpora paſſim
Litoreae ſectantur aves, projectaque paſcunt
Viſcera, & effuſo late rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras,
Et pugnata refert ſacris nova bella ſub armis,
Dumque peregrina legit Actia litora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum proſpexit Apollo,
Biſque triumphatis Aegyptia ſigna carinis.
Sic ait; & celeri percurrit Echinadas aura.
Defer ad extremas victricia nomina gentes
Fama novas memorans pugnas, partoſq; triumphos,
Quae vetera heroum obſcuris monumenta ſepulcris
Subtrahis, aeterniſque Duces interſeris aſtris.
Dic actos in bella viros ſocia arma ferentes
Hiſpanos Venetoſque intermixtoſque Quirites,
Nunc primum Jonio in magno junxiſſe carinas:
At contra Euboicas ſumma in certamina claſſes,
Mentitoſque Deos, vireſque Orientis agentem
Regem Aſiae, domitum, tremefactaq; ſaxa Capharei
Scilicet hoc dudum precibus votiſque petiſti,
Sancte heros, qui ſceptra Dei ſedemque tueris,
Idem aperis, idem caeli penetralia claudis.
Dum tu neglecta pro relligione laboras,
Et Vaticanas toties proſtratus ad aras

Sacra facis, ſanctaſque vocas in foedera gentes;
Jordanemque jubes, Solymaſque repoſcere ſedes,
Atque implacatae ſuperare Propontidis oras.
Salve operum tantorum auctor, qui Numina nobis
Concilias, & dia tuis paris otia terris.
At tibi Dux Venetum, nunc alter ab Hercule magno
Qui gravidã colubris Hydram, qui Thracia monſtra;
Exſuperas, iterumque Acheloja cornua frangis,
Quando etiam majora manent, ſuperanda Propontis,
Rhoetaeique ſinus, proavitaque regna petenda:
Jamque tuis Rhodos, & Salamis, Naxoſque receptae
Accedent titulis: & jam concuſſa tumultu
Mygdonia, & triſtes expavit Achaja pugnas.
Te celſi juga Taygeti, te frigida Tempe,
Aoniumque vocat nemus, & Permeſſides undae,
Et tua Pieriae reſponſant nomina ſilvae.
Tempus erit, cum rapta ſacris ſolatia Muſis
Reſtitues, fonteſque ſuos, ſuaque antra recludes,
Nunc dira illuvie, & ſilveſtribus obſita dumis;
Et ſua jam profugi recinent ad flumina cycni.
Hinc & ad aequoream victor provectus Joppem
Antiquas Solymorum arces, & ſceptra repoſces
Auſoniae Imperio, ac Romanis debita regnis;
Et tibi Carmeli rupes, tibi plaudet Idume,
Et tibi creſcentes ſurgent ad ſidera palmae.
O ſacrae Libani valles, o palmifer Hermon
En erit, ut veſtros liceat penetrare receſſus?
En erit, ut Syrias luſtrans pius hoſpes arenas
Caelicolum ſignata legam veſtigia plantis?
Bethlemiaeque domus ſupplex ſacraria viſam?
Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decurſibus anni,
Concordeſque iterum fatalibus aurea penſis

Sae-

Saecla neant Parcae, meque haec ad vota reſervent.
Adſpice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Ut maria, ut tellus nobis, ut largior aether
Rideat, & nitido oſtentet nova ſidera caelo;
Illuſtres animas, quae prodiga pectora vitae
Auſae omnes, dum fata dabant, hoſtilibus armis
Obiicere, & lethum pro relligione paciſci,
Has ſedes peperere ſibi, qua lactea fulget
Orbita, & aeterni candent faſtigia mundi,
Et modo pacatis diffundunt gaudia terris.

JOLAS.

SIc te perenni picta flore gramina,
Et umbra denſis explicata frondibus
Levent beate paſtor: ut nec horrida
Hyems virentium arborum laedat comas,
Nec prata laetis exuat coloribus:
Prata illa regnis praeferenda: quae tibi
Tantum quietis, otiique ſuggerunt.
Felix Jola, grata ruris commoda
Semper tueris, ſeu colis ſcatentia
Vireta rivis, ſive ſub cavo ſpecu
Projectus, & curis ſolutus omnibus
Canis; quod ipſa circum imago conſonet,
Et alta reddant montium cacumina.
Felix Jola, nunc tibi fons languidum
Adfert ſoporem blandiente murmure:
Nunc dulci amore ſaucius tuos novis
Incidis ignes populis: & ſtipite
Creſcente dulcior ſimul creſcit calor.
Tecum in reducta valle grex depaſcitur:
Quantumque longis ſolibus carpunt oves,

Brevi reſurgit nocte. Tecum Veſpere
Surgente notis clauditur praeſepibus:
Aſtriſque jam cadentibus, cum paſcua
Lento madeſcunt rore, proſilit pecus
Molles ad herbas. hic tibi tunc alitum
Congratulantur cantus: hic felicibus
Aſpirat auris obſtrepens Favonius.
At tu beate paſtor, iſto munere
Diu fruare, nec nemus, nec florida
Offendat arva frigus acre: ſed tibi
Aeterno aperti vere floreant agri.

EPIGRAMMATA.

JAM remos, fragilemque tibi Neptune carinam
Dat Celadon toto cognitus oceano:
Ut ſaltem, incertis qui vitam abſumſit in undis,
Excipiat patrio terra ſenem gremio.

Sic venerande Typhon, tua quae complectitur oſſa,
Floreat aeternis terra papaveribus:
Sic Venus Aſſyrio tumulos irroret amomo
Atque Hyblaea tibi munera libet apis.
Ne ſacro deſit cineri poſt fata voluptas,
Neve pios manes atra favilla premat:
Et felicem animam crepitanti rivulus unda,
Et teneat laetis myrtus opaca comis.
Quaeque ſuis olim potuit mulcere querelis,
Nunc etiam extinctum te philomela juvet.

IN PHILOMELAM.

PICTA ſinus, auroque leves interlita pennas,
Fingebat vario gutture carmen avis:

Et

Et dulci clamore diem, roſeamque vocabat
Auroram invito conjugis e gremio:
Quam nunc extremo tumuli donavit honore,
Et ſparſit viola, ſparſit Acon lacrima.
Forſan adhuc humili cantus meditaris ab urna,
Sed reprimit cantus invida terra tuos.

PALLADI, ET SOLI.

HANC oleam formoſus Acon tibi caſta Minerva,
Ille idem hanc oleam Phoebe tibi inſeruit.
Tu dea crudeles paſtorum averte bipennes:
Tu teneram miti ſol ale temperie.
Quod ſi unquam domino foecunda adoleverit arbos,
Si cum creſcenti ſtipite creſcet Acon.
Humida non deerunt flammae fomenta bibaci,
Quae procul invita nocte fuget tenebras.
Etſi veſtra aderunt Dii numina, diſcet Apollo
Ille tua artes, ille Minerva tuas.

GEORGII ANSELMI CARMINA.

DE CYNTHIO.

CARMINA cū caneret querulas animantia chordas
Cynthius, & mira plecteret arte lyram;
Obſtupuit, juvenemque diu miratus Apollo,
Talia ſuſpenſo protinus ore dedit:
Fallor? an ille ego ſum, noſtrive ſimillimus alter?
Aetate, arte, coma, nomine, voce, chely?

DE

DE FLORIANO ANSELMO.

MARS animos,mentemq; tibi; praeſtantia membra
Invictaſque manus Amphitryoniades.
Cynthius ingenium, ſpeciem Semelejus Evan,
Suadela os; mores ipſe tibi dederas.
Jupiter invidit terris tot Caelitum honores,
Atque immaturo funere te rapuit.
Haud tamen ipſe velim lacrimis vexare quietum:
Nam bene qui vixit, vixit & ille diu.

DE LANIO SOSYLO.

DE lanio, medicus fit Soſylus: haud nova res eſt,
Fecit enim lanius quod facit & medicus.

DE ARCHAGATHO.

UNUM amat Archagathus ſemet. felix in amore
Unus rivalem non habet Archagathus.

AD TERMINUM.

TU quicunque tribus finem decernis agellis,
Seu ſtipes fixus, Termine, ſive lapis:
Hos a laeva hortos geminis defende rapinis:
Servabunt triplices cetera jura viae.
Hic noſtra exiguam ſedem de parte, quotannis
Facturi nullo ſanguine ſacra, damus.
Turpe hoc, vicino, Capitolii immobile ſaxum,
Mortali velle cedere, nolle Jovi.

IN

IN HOMERI LIBROS.

QUID, Lector, iſto in opere tam diu pendes,
Rerum ſtupens miracula?
Tulere non juga haec nivoſa Parnaſi,
Non Pythii vatis, mele.
Non impotentum jubila alta Faunorum,
Rupes vel Arcadum inviae:
Jovis vel incitata fulguratoris
Orbis decemplicis rota.
Sed Dii Deaeque omnes, parenſque Natura,
(Nam molis hoc tantae fuit)
Quid ſpiritus poſſent, quid & animae, & vires,
Menſi omnibus ſemel modis.

IN LIBROS THEOREMATUM ANSELMI AVI.

SYNTAXIN Anſelmi ut quadruplicem modo
Epidaurius vidit Deus:
Jovem increpans; quid profuit telis, ait,
Necaſſe nos Typhoëis
Inventa ſi mortalium vincunt Deos?
Non unus his revixerit.

IN MENEDEMUM.

QUI tibi ſint mores, Menedeme, aut qualia facta,
Neſcio; ſed ſcio te peſſimam habere animam.

AD

AD POSTUMUM.

PAUCA rogas, tua depereant ne nomina, de te
Ut ſcribam. Inſcribam, Poſtume, pauca: latro es.

IN LINUM.

CUM tu ſcis facie tali, Line, ne pete fontem,
Neu juga qua nitida defluit amnis aqua.
Adſpiciens ne te (nimio Narciſſus amore
Ut quondam) ipſe odio ſic moriare tui.

IN MANLIUM.

INSUBER, & blaeſus, nec ſat tibi lingua pudica eſt:
Quid mirum, Manli, tam male ſi loqueris.

LAZARI BONAMICI CARMINA.

AD REGINALDUM POLUM CARDINALEM.

O ALTO qui cuncta animo circumſpicis, & quae
Recta, & curva vides, fugis haec, legis illa: nec ullae
Vis potis eſt animum recto deducere: ſi tu
Forte probas, Lybiae domitor quae ſaepe ſolebat
Dicere, & egregio de pectore fundere in auras:
Eſſe unum hoc nobis omni ratione modoque
Optan-

Optandum & conandum acri aſſiduoque labore,
Ut ſimus primum, deinde ut videamur honore
Digni, tum nobis poſtremaque & ultima cura,
Quod tamen eſt hominum primũ pleriſq; ſed aegris,
Ipſe honor: anteferas Romanis Pole triumphis
Quod tua te virtus in caelo ponit, & aſtris:
Quod te mortales omnes, juveneſque seneſque
Optabant ſacris praefectum rebus, & eſſe
Errantum paſtorem ovium, qui paſcua laeta
Monſtrares, dulcique impleres ubera lacte.
Et, ſi non ullis nimium mens laeva fuiſſet,
Paſtor eras. ſed te Deus ad majora reſervat
Fortaſſis momenta. nihil nos novimus: ille
Omnia: & aeterno moderatur cuncta tenore.
Interea longo quondam quae nota labore,
Praelucente Deo, tibi ſunt pater optime ſacris
Eruta de libris, noli occultare, ſed auras
Profer in aetherias: volitent ſine pectora circum,
Et doceant Chriſti cultum: qui miſſus ab alto eſt
Aethere, ut in caeli clara nos ſede locaret.
Dumq;hoc,dumque illud laudant diverſa ſequentes,
Inque ſuum errantes errorem ducere tentant
Quiſque viae ignaros, certa vix lege tenemus
Illius praecepta: ferent quae ad ſidera caeli.
Qui potes, huc fer opem; populo ſuccurre labanti:
Da lucem tenebris, caligineque hinc procul actae
Veram oſtende viam, ſoli tibi quae patet, & jam
Olim trita tuis pedibus veſtigia ſervat.
Fac tonet eloquiis, fac fulminet illa tibi uni
Vis conceſſa, Deus quoties ſummus rapit, & te
Ad ſua convertit. te talia munera poſcit
Et Deus, & noſtri magna inconſtantia ſaecli.
Aggredere: & noſtros pater optime dirige greſſus:
Qui

Qui tanto ſtudio ſacros evolvere libros
A puero es ſolitus, puroſque haurire liquores;
Fontibus, irrigui manantibus aethere caeli.
Haec erit una Deo gratiſſima victima cunctis
E gregibus: nec te hanc pigeat mactare cruenti
Succinctum de more Popae. tibi Tertius olim
Haec eadem juſſit Paullus: jam juſſa capeſſe,
Aut potius coeptum percurre, & perfice munus.
Sic tibi propitius faveat Deus uſque, tuamque
In terris vitam ſervet ſine labe decoram,
In ſedes tua te accipiens poſt fata beatas.

AD JO. MATTHAEUM GIBERTUM

VERONAE EPISCOPUM.

JAM nix in liquidas canis de montibus undas
Liquitur, & rigidi Boreae furor aethere ceſſit:
Inſinuanſque almis Zephyrus ſe molliter arvis,
Perflat in amplexus telluris: at illa repente,
Caeleſtes ubi concepit foecunda calores,
Parturit: umbroſis crinitur frondibus arbos:
Et ſurgunt pictis pubentia gramina campis.
Nonne vides? variis ſubrident floribus horti,
Quos circum violae, & ferruginei hyacinthi
Funduntur, calyceſque comis diſcludit odoris
Vere roſa, exultans primi ſub lumina ſolis.
Jamque ſuis properant obiiſſe negotia curis
Omnia, & ignavae propulſant otia vitae.
Ecce thymum perquirit apis, roremque marinum,
Nunc hoc,nunc illud peragrans nemus, arteque mira
Anfractus molli e cera diducit, & intus
Diſtendit liquido manantia nectare mella.

Sedula jam denſa feſtinat in arbore nidos
Ponere avis, caros ut quondam educere natos
Poſſit, & ardenti repetit loca ſaepe volatu.
Frondoſique alta nemoris Philomela ſub umbra
Dulce querens, tenui permulcet gutture ſilvas.
Albus olor per colla modos dat longa canoros
Propter aquam, gaudens viridantis germine ripae.
Jam procul a ſtabulis ducunt armenta, gregeſque
Paſtores, monteſque petunt, ac paſcua nacti
Herbida, proiiciunt laeti ſe in gramine laeto,
Argutumque cava modulantur arundine carmen.
Quorum alius duros queritur male ſanus amores.
Contra alius placidae decantat dona puellae.
Reſponſant quibus antra eadem, valleſque ſupinae.
Mugituſque ciet paſcens ad carmina taurus.
Navita jam ſiccas deducit in aequora naves,
Explicat & vernis ſinuantia carbaſa ventis.
Quod ſi plena auris nunc pandit vela ſecundis,
Et latum trabe nauta cava deſcendit in aequor:
Sibila dat paſtor ſeptem deducta cicutis:
Si raucum niveus nemoroſa ad flumina cycnus
Concinit, Halcyones fundunt per littora cantus,
Attica populeos inter Philomela receſſus
Obſtrepit, & volucres ſuſpendit in arbore nidos:
Ipſae etiam paſtae flores alvearia circum
Taurigenae meditantur opus caeleſte volucres:
Omnia ſi repetunt grato intermiſſa labore,
Feſtinantque ſuis percurrere munera curis:
Cur vati non turpe, decus Giberte, ſaluſque
Nominis Auſonii, hoc non tempore dicere carmen?
Et tibi qualemcunque ſuam exercere camoenam?
Qui facis, ut cuncti poſſint tibi ludere verſus.
Hunc igitur noſtris percurrere vocibus altae
Con-

Convalles, ſilvaeque omnes, fonteſque lacuſque
Gibertum, atque iterum Gibertum, auraeq; ſonabunt.

AD DIDACUM HURTADUM MENDOZAM.

Villa ſuburbana dum me delectat agello,
Hinc Patavi egregiā ſtudiis, & moenibus urbem,
Amplo & circuitu, & fluviis, caeloque ſalubri,
Illinc caeruleo ſurgentes leniter arcu
Palladis, & Bacchi ambiguo certamine colles
Cernentem Euganeos, ſubjectaque collibus arva,
Laeta Ceres alto quae ſaepe aſpectat Olympo,
Inde per excelſas alpes converſus ad Arcton,
Dum miror tarde volventem plauſtra Booten,
Et tot diverſis lucentes partibus ignes,
Cepheaq; ardentemq; canem, ardentemq; coronam,
Plejadas, Hyadaſque, auroque Oriona micantem;
Milleque praeterea naſcentum, mille cadentum
Stellarum motus, ſeu cum Sol exit Eoo
Oceano, Heſperias ſeu cum ſe condit in undas;
Paulatimque feror ſublimior, arteque docta
Quis ſit, & haec certa qui temperat omnia lege,
Contemplor: licet ante alios ſit pectore Caeſar,
Et bello inſignis, teneatque patentia regna,
Ipſe tui tamen ingentis tum Caeſaris arma,
Regnaque contemno, curſu peritura fugaci.
Tum me felicem, tum me reor eſſe beatum,
Cui datur haec miſera procul ambitione tueri.
Non ego diſpoſitis trans altas evehor alpes
Feſſus equis, per ſaxa, & depreſſas convalles,
Fluminaque & rupes per mille pericula carpens,
Dum dicto citius cupio mandata referre,
Triſte juventutis ſolamen, triſte ſenectae:

Atque

Atque pedum, atque alui linquo, renumque dolores.
Non claſſem amiſſam Libycis in fluctibus, & rem,
Quae bene non geſta eſt, cogor lugere, nec imo
Ingentem verſo curarum in pectore molem,
Imperii ut late fines producere poſſim:
Qui nulli tibi ſunt, animus niſi finiat aequus.
Nullius inſidias timeo, nec perdita caecum,
Oblitumque mei rapit aſſentatio. non ſpe
Deludor vana. non quenquam denique fallo.
Sed Calcignani modo aprico colle ſub alta
Ilice pallentes ederas, oleaſque virentes,
Et vineta inter vario certamine dulces
Excipiens cantus dextra, laevaque volucrum,
Nunc ad Medoaci doctae ſub moenibus urbis
Flumina. nunc Patavi aedium in interiore receſſu
Securus mecum meditor, ſi promere poſſim,
Quae valeant prodeſſe olim mortalibus aegris:
Ut potiora petant, per me potiora videntes.
Quam tibi ſi mentem, priſca de ſtirpe Diege,
Caeleſtes dederint, haec ut caeleſtia cures,
Cui tanta eſt fortunae copia, tanta bonorum
Librorum, ingenii multo ſolertia major:
Cujus luce ingens circumſpicis omnia, quae ſunt
Quaque in re vel agenda, vel acri indagine mentis
Concipienda, in utram libeat tibi te dare partem,
Quae de tam ſacro manarent pectore in omnes
Terrarum tractus? tua clara Hiſpania bello,
Conſilioque potens, docta ſed clarior arte,
Uno te quantum ſe ſe jactaret alumno,
Et ſublime tuum ferret ſuper aethera nomen?
Ipſe autem in terris ſimilis Diis, ardua caeli,
Ardua terrarum celeri per inane volatu
Emenſus, prima & repetens ab origine cauſſas,

Hic ageres Diis cum ipſis immortalibus aevum.
Sed tamen & divini animi ſunt munera, quae nunc
Exerces, vigilans in publica commoda, magni ut
Caeſaris arma queant noſtris e finibus hoſtem
Pellere communem: pro quo te ſaepe loquentem
Mirantur Veneti patres: tua dicta Senatus
Obſervat gravis ille, imoque in corde reponit.
Frumenti per te magnus convectus in urbem
Hadriacam numerus, famis expaveſcere vultum
Horribilem vetuit. Tu multos mittis ad altum
Scriptores Atho, huc veterum monimenta virorum
Comportaturos. Tu multis pectora placas
Caeſaris, & per te ſuſcepti a Caeſare multi,
Naturae ignoraſſe vias, & ſidera caeli,
Inventaſque artes foecundi ad littora Nili,
Cum refluit, totoque caput jam condidit alveo,
Non nocuit cuiquam; nocuit tranſmittere fines
Juſtitiae, ignarum vitae, rationis, & artis.
Nec minus in nobis cum fluctuat, obfuit, irae
Veſanae ceſſiſſe, & ſuccubuiſſe furenti:
Aut ſi quem cepit potantem pocula Circes,
Subdola, blanda hominum labes, atque eſca voluptas;
Denique pro patria fugiſſe pericula habendi
Plus aequo, & ſe ſe expleviſſe cupidine tantum,
Et ſua vitare, atque hominum contemnere coetus.
Contra olim multum, ac veteres feciſſe videmus,
Quorum nunc omnes fruimur virtutibus, & quae
Nunc ſunt, illorum nobis peperere labores,
Quorum vita dedit hanc nobis vivere vitam.
Haec urbes regere, haec populos ſervare beatos
Sola poteſt, dare conſilium, & ſuccurrere amicis.
Hac vagus Alcides, hac attigit ignea templa
Liber, & in caelum raptus poſt fata Quirinus,

In-

Innumerique alii : praeclara negotia quorum
Otia juverunt aliorum. Lapſus ab alto
Virginis in gremium pater ipſe hominumq; deumq;
Induit humanam faciem, moribundaque membra:
Tantus amor noſtri, miſerans incommoda noſtra
Ille ipſe immenſi ſator, & regnator Olympi
Multa tulit noſtro, ſubeundo mille labores
Nomine, ſudavitque, alſitque, famemque, ſitimque
Senſit: & extremo crudelem tempore mortem,
Crudelem, nobis vitam tamen inde ferentem,
Perpeſſus, clauſi portas reſeravit Olympi,
Taliaque edocuit nos exercere nepotes:
Curemus cuncti ut mortalia commoda. quare
O genus egregium, qui ſanguine clarus Ibero,
Virtute haud minor es cum ſis ad utrunque paratus:
Et ſit ſumma quidem,& pulcherrima laus in utroque
I, genium ſequere, & naturae cede monenti:
Ducet enim, quo pauci aſpiravere priorum.
Nos ſimili monitu, qua coepimus, ibimus, atque
In caelum munire viam pergemus, & aſtra:
Si modo Calliope praeſtantibus annuat auſis.

AD DONATUM RULLUM.

QUID tibi vis Donate, meae pars altera vitae:
Qui cum partiri curas, & vivere mallem,
Quam bene dotata, caſtaque uxore videre
Suſceptos patrem circum colludere natos.
Jam tua fortunas induſtria naviter amplas
Attulit, arridens & ſors patrique tibique
Mille jugis oleae vobis, armentaque laeta,
Arvaque frumentis aptiſſima, mille gregeſque
Fertilis Appuliae latis paſcuntur in agris:

Et permutandis non parva pecunia nummis
Creſcit, & auget opes: requies tamen ulla laborum
Non eſt parta tibi. modo mens vaga cogitat ire
Urbẽ ad Seirenũ, modo Romã, atq; huc modo, & illuc
Seu nix alba tegat terras, ſeu Seirius ardens
Excoquat, in varias diſcindis pectora curas.
Ecquid in his Donate magis ſentire beatum
Te potes? an ne animi potius concreſcere morbos?
Qui, ceu turbatis mare fluctibus, aeſtuat ingens
Imo in corde labor, caecaque cupidine ſemper
Nos agitat, portuque arcet: tum rurſus in altum
Arripit, in portum cum duceret aura propinquum.
Quod ſi Pactolus fulvo tibi defluat auro,
Non animi tantas poſſis ſedare procellas:
Illius ventos niſi more Ithacenſis Ulyſſi
Utribus incluſos teneas, nec vincla reſolvas
Ex ſociis quiſquam, ſed amica pace ligatus
Reginae ſenſus rationi pareat omnis.
Hoc tibi Socraticae poterunt praeſtare tabellae:
In quibus e caelo ſe quondam lapſa ſereno
Condidit, humanos viſens Sapientia coetus:
Non aurum, non mille greges, non jugera mille:
Quae ſi nulla ferant incommoda: dic mihi, quaeſo,
His ſine qui minores? vel qui cum his major? ut extra
Te circumpoſitis nihilo majorve, minorve es.
Non ſecus ac curvo clitellas ſi quis aſello
Ex auro, frenum ex auro, atque inſtrata ſuperba
Iniiciat, talem nunquam mutarit aſellum:
Divitiis nobis ſic eveniſſe putandum eſt.
Ni tibi Maphaeum Bernardum propter acervos
Nummorum docto libeat praeferre Tryphoni.
Quam ſtulte facimus, ſi conducenda, vel ipſi
Eſt tibi emenda domus, non exteriora putabis

Aſpe-

Aſpexiſſe ſatis, ſtudio circumſpicis acri,
Intro adiens, cellas, thalamos, granaria, quotque
Commoda ſint, quae ſint incōmoda ſed tamen, o Dii,
Purpura ſola facit, ſolum diadema beatos,
Et nummi, poſitique per horrea longa medimni.
Noſtra ita judicio vulgi caecoque, levique
Libramus: lance & ſtolidi nil pendimus aequa.
Quod ſi intromiſſo illorum tibi cernere detur
Iraſque inſidiaſque atraque cupidine motus,
Inter ſpemque metumque & acutos corde dolores,
Ah miſeri dicas, retro & veſtigia vertas,
Improviſum aſpris calces ceu vepribus anguem
Sibila torquentem colla, & fera bella minantem:
Continuoque petes viridis ſpineta Lycaei,
Si ſapis, & recti tibi vis, & conſulere audes,
Unde roſae, violaeque, & candida lilia ſurgunt,
Ver ubi perpetuum, & Zephyris ſpirantibus aura
Divinos effert foecundo ſemine fructus:
Aut Academiae, & platani quaecunque ſub umbra
Felices animae cecinerunt, diſcere tentes.
O ego quem vellem, ingenii ut tua vena benigna
Muſarum in latis flueret nitidiſſima campis,
Omni ſorde procul, non his areſcere curis
Jam ſineres Donate diu, qui jam mihi plures
Exoptatus abes menſes, quam me tolerare
Poſſe putem. Jam te liquidis, jam corniger undis
Medoacus, nigram leni qui flumine terram
Irrigat, & Patavi vocat ad ſua munera muſas,
Jam Calcignani colles, fonteſque videntur
Adventum exſpectare tuum: tibi nectere nymphae
Euganeae vario properant ex flore coronas.
Noſque tuum in reditum pinguē cum matre juvencū
Paſcimus, hircipedique Deo cantanda paramus

Carmina , cum varios ſubmittere terra colores
Incipiet : lupus effugit namque hinc pede claudo :
Et poenas dedit idem omnes per vota petitas.
Quare Rulle brevi, precor, huc Donate recurre :
Et caros tandem, cupidoſque reviſere amicos
Ne grave ſit. tibi contingat ſic numine dextro
Vivere jucunde, & bene, perpetuoque tenore :
Degendae ratio eſt vitae quae ſola beatae.

JOANNIS CARGAE CARMINA.

DE CAELESTIBUS, NON DE HUMANIS OPIBUS ESSE COGITANDUM.

QUOUSQUE tandem caeco amore proſequar
Opes caducas, atque inanem gloriam,
Si dives ille ſplendide ſuperfluens
Torquetur igne inferno : egenſque Lazarus
Accumbit in ſinu Abrahae? hinc o hinc procul
Abite vana mentis aegrae ſomnia,
Et quotquot eſtis execratae imagines,
Quae me retentum fraude blanda luditis.
At vos profuſa lacrimarum flumina
E fonte cordis intimo prorumpite :
Reſtinguite hanc habendi inexpletam ſitim,
Aeſtuſque mentis, ſenſuumque incendia,
Flammaſque edaces, & nefandos fomites,
Quos uſquequaque dirus Orcus ſuggerit,
Ut nos profunda devoret voragine,
Et taetri adurat igne ſacro ſulphuris,

Et

Et luce & omni mancipet ſolatio.
Me poenitere, me dolere, me mea
Delicta flere, JESU CHRISTE me tuum
Juvet tribunal cogitare, & vindicem
Poenam timere: ut quando judex veneris,
Me pro tua clementia o ſalus mea
Voces, ubi beata caelitum agmina
Aevi fruuntur ſempiterni munere,
Tuique gaudent numinis praeſentia.
Cui namque acerbus fletus, aut gravis dolor,
Aut dura poſſit eſſe poenitentia,
Qui te ſequi, te amare, te frui velit?
Quod ſi tu imago & ſplendor aeterni Patris
Mortale corpus induis, ſi te neci
Volens libenſque tradis, ut me ab impia
Saevi tyranni ſervitute liberes,
Caeloque dones & beatorum choris,
Ego hujus in me caritatis immemor,
Et propriae ſalutis aeque negligens
Adhuc recuſem extrema quaeque perpeti
Pro conſequenda aeternitatis gloria?

AD ANIMUM SUUM.

QUID o proterva mens in horas ſingulas
Magis magiſque me mihi ipſi ſubripis?
Quid cogitas? quid expetis? quid deſipis?
Nec te miſella colligis? nec reſpicis
Finem ſceleſta? nec ſaluti conſulis?
Et pro te in alto ſtipite ipſe conditor
Terrae polique pendet, & large ſuum
Fundit cruorem, & morte languet, ut tuas
Labes lavet, tibique vitam conferat?

O CHRISTE JESU, quem invocare eſt vincere,
Tu me labantem pro tua clementia
Pro ſingulari caritate ſuſtine,
Maloque ab omni libera: nec reſpice
Quod victus hoſti fraudulento ceſſerim,
Et ſenſum procacitati indulſerim,
Mundique blandimenta magni fecerim.
Peccavi: iniquitatem amavi: turpiter
Vixi: ſitivi opes, honores, gloriam:
Et cogitavi, & dixi, & egi plurima
Tibi tuiſque legibus contraria:
Nunc omnium me paenitet, nunc lacrimis
Ductis ab imo corde, conſcientia
Lavare geſtit haec nefanda crimina.
Et ſive lux reducit aureum diem,
Seu nox quieti feſſa mandat corpora,
Opem tuam ſuſpirat illa & gratiam.
Ergo o redemptor unice audi ſupplicem,
Audi benignus, & benignus annue
Me ſic tui flagrare amoris ignibus
Me ſic crucis myſteriis inſiſtere,
Ut te ſequutus clara ſuper ſidera
Felicitate ſempiterna perfruar.

IN MALUM DAEMONEM.

QUID me tenebris circuis nigrantibus,
Et imminenti caecitate territas
Inviſa caelo, inviſa terris belua?
Credis ne tantum me his ocellis fidere?
Leges ve formidare naſcenti datas?
Nec ſcire jam quo ſubtrahar periculis?
Nitorque quantus his ab umbris emicet?

Eſt

Eſt una lux, quae nec reſurgit, nec cadit
Unquam, nec ullo tempore unquam deficit:
Quae pulcra caelo ſidera, & ſolem vagum
Candoris igne accendit admirabili:
Quae te ſcelus detruſit alto ab aethere
Imiſque merſit luridae Stygis vadis.
Haec una lux metam nitenti lampade
Splendoris intus nutrit atque illuminat,
Ut nil profundae noctis horreſcam minas,
Sed nec quot umbras, nec quot unquam imagines
Grex omnis Orci vi furente percitus
Caliginoſis expulit fornacibus,
Cum tanta belli, & peſtis, & famis mala
Mortalibus formidoloſis intulit,
Metuque diro ignava corda perculit.
Quare nefande obcaeca, adure, exulcera:
Et vulneratum hoc omne corpus ut libet
Et caecitate, & ferro, & igne diſtrahe,
Et in me Averni effunde totum carcerem:
Nihil movebor, vivida ſpe gratiae
Divinae, & almi fultus aura numinis.
At o dator victoriae atque praemii
Benigne Jeſu me tua juves ope
Certamen hoc certantem: inexpugnabili
Ut hoſte victo, & his fugatis nubibus,
Tandem illa ducas montis in cacumina,
Illiſque ſiſtas in beatis ſedibus,
Quibus nec ulla nox, nec horror ingruit,
Sed & perennis lux, perennis gloria,
Tui perennis & videndi copia.

SENEX RESIPISCIT.

HEI mihi miſero, hei mihi,
Tempus quam cito praeterit!
Homo quam cito deficit!
Et mors quam cito criminum
Poenas exigit omnes!
Magnam qui benefecerint
Mercedem referunt: ego
Annis jam gravis, & gravis
Culpa en diſtrahor omnium
Per tormenta malorum.
Nox caecis tenebris premit
Morbo languida lumina:
Menti & ſenſibus incubat
Quidquid eſt miſerum, & grave:
Vivum es Carga cadaver,
Vivum: nam patulae vigent
Aures, ſed tuba in ultimum
Quae te judicium vocat,
Quali, proh pietas, ſono
Metus duplicat omnes!
Ergo tam miſer & nocens
Ad quem confugiam, niſi
Ad te Rex meus, & pater?
O Rex, o Pater, o Deus
Tu mei miſerere.
O & perfugium & ſalus
Humani geueris, pie
Jeſu precor, ah precor
Illa luce noviſſima
Tu mei miſerere.

Tu quem ſanguine proprio
Aeternis redimis malis,
Pro tua pietate me
Aeternis recrea bonis:
Et mei miſerere.

AD VIRGINEM MATREM,

QUAE LAURETI COLITUR.

O Maris magni Dea, cujus aſtrum
Imperat ventis ab utroque ponti
Littore, & nautis, ubi vota tendunt
Vela refulget.
Hadriae fluctus humidos ab alma
Sterne Laureti domo, & aura tutum
Det rati curſum tua, ne procellis
Obruat Auſter.
Nos tibi in portus patrios recepti
Vota ſolvemus cumulata donis:
Tureque & cantu fluet omnis ara
Littore ab omni.

DE VICTORIA DUCIS ALBAE

APUD BELGAS.

Laetitiae bona ſigna cavis date turribus aera
Et pia ſollicito ſolvite corda metu.
Et vos ſacra cohors divinas carmine laudes
Perque domos divum dicite, perque vias.
Et tercentenas operati rite per aras
Myſtica ſacratae reddite dona dapis.

Vos

Vos quoque dum ſummus referat Jubileïa Paſtor
   Limina, divinum carpite gramen oves.
Sacrilegae periere acies, periere nefanda,
   Agmina, & in Belgas quot coïere manus.
Nam juſto potuit quiſquis ſupereſſe furori
   Arripuit turpem protinus ille fugam.
Pars major ſceleratam animam pro crimine pendit,
   Mergitur & rapidis Styx quibus ardet, aquis:
Hic ubi ſupplicii ſubeunt genus omne gigantes:
   Par ſcelus eſt, debet par quoque poena ſequi.
Oſſa inhumata jacent: volucres pavere lupique
   Corpora: inundanti ſanguine caſtra natant.
Sanguine pingueſcunt campi, nemora alta madeſcunt,
   Et moritur, fibris ne bibat herba nefas.
Quod ſi quem Pythona novum feret impia tellus,
   Impia tam dirum ſi ſcelus illa feret,
Qui ſternas Pythona novus tu vivis Apollo,
   Gloria magnanimum magne Tolete Ducum.
Te quis ſtare poteſt contra? quis fervida contra
   Vota pii patris, Regis & arma pii?
Carolus haec ſummo cernit dum laetus olympo.
   Et nato gaudet jam minor eſſe parens.
Miratur carumque ducem, caraſque phalanges:
   Ante Deum tales fundit ab ore preces.
Virgine nate Deus, cujus pro nomine ſanguis,
   Nunc meus immenſum ſuſtinet orbis onus:
Si tibi quos vovit, juſtos agit ille triumphos,
   Bellaque te ſolum propter & arma gerit:
Da pater ut quo tu fregiſti robore Avernum,
   Ille, tument terris quot modo monſtra, domet.
Ille feros frenet populos gentemque rebellem,
   Ille tuo ſubdat barbara colla jugo.
Ille tibi exuvias referat, quos Maurus & Indus
Debet

Debet & infidi littus utrumque maris.
Da ſimul & comites habeat pater optime, qualis
Alva meus, qualis tu Perenote meus.
Annuit omnipotens: nutum laeta excipit aula
Plauſibus, in plauſus laetior aethra ruit.
Cedite praecipites ſub Tartara caeca tumultus:
Jam redit in noſtras paxque quieſque domos.
Sedibus aethereis jam nunc demittitur aetas,
Vates divinis quam cecinere modis:
Et qualem cum mundus adhuc tener eſſet agebant
Compoſiti e primo vir mulierque luto.
O veſtros nunquam ſerpens minuiſſet honores:
Sed vetitis cur non abſtinuiſtis avi?
Vos propter terras linquit gens aurea caeli,
Inviaque eſt illuc facta repente via.
Sola recedentum manſerunt nomina ſola
Stipes, & inciſus reddidit ora lapis.
Nunc candor non eſt, non eſt pudor amplius ullus,
Nec pietas, nec qui ſidera adibat amor.
Nunc veneri indulgere hominem, nunc vivere rapto,
Nunc juvat abrupta frangere jura fide.
Et frater fratris manibus perit, & perit ictu
Natorum, contra qui gerit arma pater.
Et divum effigies paſſim ſternuntur & arae:
Et paſſim ſacrae diripiuntur opes.
Et Regum, legumque jacet veneranda poteſtas:
Hei mihi, num rabies fit ſua cuique Deus?
O quibus extremos nos propter ferre labores
Non fuit indignum, nec grave quaeque pati,
Chriſte pater, Chriſtique parens mitiſſima Virgo
Supplicia in melius noſtra referte precor.
Et prohibete malum, ſaevumque arcete furorom,
Et miſerum placida pace juvate genus.

Tuque

Tuque adeo o cuſtos gentis, qui primus ab illo es,
 Quo nihil eſt majus, nec prius eſſe poteſt.
Tu venia fera corda doma Pie maxime, & aude
 Pro ſancta ſanctum foedus inire Cruce.
Hinc populos orientis aperto Marte Philippus
 Proterat, & Libyci regna opulenta ſoli.
Et ſub Romanas mittat te principe leges
 Quicquid ad Auroram ſol ab Atlante videt.
Quicquid & immenſis anfractibus occupat aequor,
 Et colit adverſo terra repoſta polo.

IN OBITU JULII POGIANI.

JAM nos o comites ad cari funus amici
 Tertius ex alta convocat aede ſonus:
Cereaque extructum colluſtrat flamma ſepulcrũ
 Incipit & maeſtos flebilis ara modos.
Procedant quibus ima tegit veſtigia palla,
 Et fluit incomta ſqualida vitta coma.
Ordine deinde ſuo lacrimis quos ora rigare,
 Et juvat humanas ingemuiſſe vices.
JULIUS hoc POGIANUS init ſub marmore ſummum,
 Quem labor ante diem noxque ſuprema tulit.
JULIUS, Inſubriae genuit quem dives Arona,
 Mox rapuit, nunc & maxima Roma tenet.
Rore pio tumulum ſacratae ſpargite lymphae
 Atque animam terna rite piate prece.
Poſcite divinos aeternae lucis honores:
 Poſcite perpetuae gaudia pacis agat.
Dignus erat caelo: nam quis pietatis amore
 Romano aſſuevit grandius ore loqui?
Ille per immenſos tractus terraeque mariſque
 Inſurgens numeris lingua Latina tuis,

Mon-

Monſtravit ſenſus, & vim ſermonis, & artem,
Relligio Graios unde beavit avos,
Ille pias regum cauſſas, laudeſque piorum
Saepe Pii dixit principis ante pedes.
Fulmine verborum ſacri juga montis, & alta
Atria, & aeratae contremuere fores,
Purpureuſque ſuo ſtupuit cum Rege Senatus,
Atque aliquis, majus nil habet orbis, ait.
Hic Vaticanae regnator maximus arcis
Arridens tales edidit ore ſonos.
Noſter eris Pogiane: tibi ſit maxima rerum
Poſthac noſtrarum tempus in omne fides.
Eloquii candore tui fides illa niteſcat
Summa, Tridentini quam petiere patres.
Concilioque ſuper quis cum dubitaverit, a te
Interpres noſtrae littera mentis eat.
At vos muneribus juvenem decorate nepotes,
Sit veſtro lateri fidus & ille comes.
Tu pares dicto, & cadis hoc ſub pondere Juli,
Aſtra vel hinc potius regnaque ſumma petis.
Et capis hic juſto tibi praemia parta labore
Praemia non ulla diminuenda die.
Faelix ſorte tua, neque in hos ſervate tumultus,
Nos quibus exanimat vindicis ira Dei.
Ecce palam bellis iterum civilibus ardet
Hac Rhenus diſcors, hac furialis Arar.
Nec ſatis eſt vacuaſſe ſuis cultoribus urbes,
Omniaque immiti conſceleraſſe manu:
In Divos ipſumque Deum per tecta per agros
Omne nefas ſcelerum turba miniſtra facit.
Diruta templa cadunt: a culmine victa reſedit
Relligio: pietas priſca, fideſque jacet.
Ecquid ad hanc rerum faciem ſupereſſe putemus

Quo

Quo minus extremam jam ferat hora diem?
Quis non emigret terris hoc tempore, quis non
Huic ſaeclo caelum praepoſuiſſe velit?

JANI ETRUSCI CARMINA.

CUR POETAE HAC AETATE IN PRETIO NON SINT.

QUOD contemta jacet per tempora noſtra Poëſis,
Reſque ſit in pretio carmine nulla minus,
Ediderint plures cum ſaecula nulla poëtas,
Quam quos calchographi cura ſubinde parit:
Conqueritur vatum celeberrima turba, reverti
Vatibus Auguſti ſaecla benigna vovens.
Ut tamen haec redeant, Moecenas, Caeſar & ipſe,
Munificos noſtris vatibus eſſe putem?
Maevius, atque comes Bavii cum plurimus Anſer
Obtineant Flacci Virgiliique locum?

AD JACOBUM PSEUDOPOETAM.

TERVE, quaterve tuo cum ſint Epigrāmata centū,
Pagina tam magno vix tamen ulla libro eſt,
Qua non Detractor, vel Zoilus ipſe minaces
Excipiat morſus, ſed ſine dente, tuos.
Infima, ſi neſcis, non unquam dente laceſſit
Invidia, at ſummo quae videt eſſe gradu.
Ipſe adeone malum quenquam, Jacobe, Poëtam
Reris, ut invideat verſibus ille tuis?

DE

DE ANCHIALO MEDICO, AD GALLUM.

EXACTAS poſt quinque ſibi deciesſque novenas
Meſſes, vivit adhuc clinicus Anchialus.
In tam longa putas protractam tempora vitam
Dum ſe, Galle, ſuis artibus ipſe juvat?
Falleris: Anchiali nihil eſt funeſtius arte,
Pharmaca dum miſcet miſcet & illa necem.
Haec igitur cum mille animas demittat ad Orcum
Anchiali indoctas quae ſubiere manus:
Quid mirum eſt illi violentam parcere mortem,
Quem ſibi pro centum falcibus eſſe videt?

JOANNIS CASAE CARMINA.

AD FAERNUM, CUM AB URBE PROFECTUS VENETIAS IRET.

HUMIDA Tyrrheni fugientem flamina venti
Caelumque peſtilens Latî
Me Venetû excipient mitiſſima littora, & aurae
Salubriores, putribus
Jam membris ſenio, & podagra turgentibus acri,
Qua flare ſuerunt, nec mala
Imbutae tuſſi, neque in ipſis fluctibus udae
Faërne, mireris licet.
Prorſus, qui Romam liquit, rerum ille carebit
Pulcerrimo ſpectaculo.
Nec coetum aeque illuſtrē hominū, nec Palladis aeque
Inſtructa pectora artibus,
Terrarum ut cunctas luſtret circumvagus oras,
Offendet uſquam gentium.
Fragmina nec muri adſpiciet majora vetuſti

Non diminutis urbibus.
Imprimis Bromii latices, & frigida ſiccis
Requiret idem faucibus
Pocula lympharum ſub terras condita opacas,
Aut foſſa Lucanam in nivem.
Ipſe ego, ferventi delapſam ex imbrice lympham
Nuper, nec altos in ſcrobes,
Et vappam, ſalices inter quae nata paluſtres
Caeni ſaporem patrii
Potanti offundet, mediis fervoribus, ardens
Arente fauce traxero.
Aſt idem hoſpitibus placidos, & dulcia pacis
Impertientes commoda
Mortales cernam, & locupletem civibus urbem
Diſpar probantibus nihil.
Cernam loricam violentam, enſemque ſuperbum
Inermibus ſuffragiis
Conſtrictum, & dirae execratum caedis amorem
Longe exulantem gentium.
Illic cum cano prudentia ſera capillo
Paret viciſſim, & imperat.
Illo ſe nuſquam propendens contulit aequum
Bonae comes concordiae.
Fraudibus Heſperia ut pulſum eſt, timuitque rapacis
Uncas licentiae manus.

DE UBALDINO BANDINELLIO.

TAM caro capiti jam nimium diu
Munus Melpomene lugubre, Naeniam
Debemus: querulam prome puer lyram.
Siccis non ego te genis,
Moerore aut vacuus pectora lurido

Lau-

Laudabo : neque deſiderium morae
Noſtrum diminuunt, aut hominum atterens
  Furtim triſtitiam dies
Te morum ſtudium, te ſapientiae
Cura, & nobilium fecerat artium
Ubaldine quies gnava, operoſaque
  Muſarum otia divitem
Non auri, pavidis addere mentibus
Mordacem validi ſollicitudinem,
Non oſtri, experiens quod reparat Ligur
  Nobis merce ſuperflua:
Irritet fugiens pauperiem aequora
Iracunda levi navita palmula,
Aeſtatem Libyae perferat igneam
  Idem: idem Aemonias nives
Veſtigans lapides, foemina quos petit
Vel flavo capiti, vel tereti decus
Collo. Mentibus Atlantiades Deus
  Calcar ſubdere inertibus
Ludens dum cuperet, fertur inutile
Promiſſe aurum, acuens illo hebetes uti
Exercet puerum non vegetum nuce
  Mater ſedula futili.
At fortes (quoniam robore ſtat ſuo
Virtus, Peliaca ut quercus, & aequoris
Saxum Carpathii) nec famulae decet
  Auſcultare pecuniae,
Nec firmos fragili fidere: defluit
Fortuna, ut ſubditis auctior imbribus
Extemplo aret aquae rivus inops ſuae,
  Nimbos ſi pepulit deus.
Tu dulcem es Latii copiam adeptus, &
Grajum divitias, & dominam urbium

Artem: quo mihi nunc & patriae occidis
Multo flebilior tuae.
Arni moeret enim fluminis accola,
Florens ingeniis accola fluminis
Arni, tot te animi compoſitis diu
Theſauris, tacitum mori.
Ut navim pelago praecipitans notus
Vertit, quae remorans, largiter alveum
Implerat ſpatioſum: illa Arabum ferens
Gazas illa ebur Indicum,
Et gratum redolens tus ſuperis ferens,
Et pexa e foliis vellera ſericis,
Aetnaeae Cereris plenaque frugibus,
Portus ſtrenua patrios
Ditaret, populos & procul oppidis
Effuſos ſtudio ad ſe raperet lucri:
Nunc ſaevi arbitrio volvitur Adriae
Caecis obruta fluctibus.
At tu, progenies aurea fulmine
Gaudentis Jovis, o deſere ne meum
Carmen, muſa: diu ſed vigeat ſacri
Cuſtos pagina nominis.
Hic me Caſtalii tramitis arduos
Flexus, Aeoliae hic me docuit lyrae
Ictus: o nebulam oblivio & arceat
Furvam a nomine nobili
Noctem: ne volucris filia temporis
Ne rubiginis atrae admoveas meis
Dentem carminibus: neu nigra nubibus
Condas Italiae decus.

AD

AD HANNIBALEM ORICELLARIUM NEPOTEM. DILIGENTISSIME CAVENDUM, ESSE AB ADULATORIBUS.

MENTEM blanditiae perdere credulam
Norunt non ſecus, ac mortiferas malae
Multo melle novercae
Olim cum medicant dapes.
Viro imbuta malo dulcia murmura
Mendacis fuge linguae, & teneras neque
Falſis laudibus aures
Admoris, cupidus puer
Verarum, bona ni decipit indoles;
Et te te excutias, tinniet improba
Nugas cum modulans vox,
Quas atro rapidi ferent
Cum fumo boreae & pulvere ſordido:
Ni quicunque libens dicier audies
Verbis, te labor illum
Rebus finxerit arduus.
Senſus ut juveni pellicit intimos
Virgo candida, cum turgidulas tegens
Nulla veſte papillas
Molli illum recipit ſinu:
Sic laudes animum, vera ubi concinunt,
Permulcere ſolent: nec mulier tamen
Ut cantu ſine dulcis
Spernit pſallere tibiae:
Sic virtus, populus ſi taceat, ſedens
Ceſſabit: nihilo nec minus obſita
Noctis ferveat umbra,

Et deſerta ſilentio,
Quam cum per medias inclyta ducitur
Urbes, & celebris voce faventium
Direpta hoſtibus arma
Affigit foribus deum.
Cum laudis faciem ſumſerit impudens
Fraus, affinxerit & cum tibi non tua
Blanda nomina voce,
Et dulcem illecebram ſtruet,
Ne te praecipitem trudat amor tui,
Ne nugis capiare, ut volucris ſolet
Dulci parvula cantu
Tecti vepribus aucupis.

DE FRANCISCO TURNONIO CARDINALI.

QUO tollor pavidus? quo feror inſolens?
O quae Caſtaliis fontibus aureos
Crines, oſque lavis virgineum, genus
Magni Melpomene Jovis.
Cruri purpureos indue candido
Soccos: nam juga tranſmittimus alpium
Soli: eſt unus enim mi comes argui
Mendaci metuens pudor,
Vatem diva tuum tu moneas viae:
Si pure colui veſtra puer ſacra
Fervens mente nova, ſi ſenior tua
Nunc veſtigia perſequor
Quercus umbriferas inter & ilices
Quaerens aërias. Non ego divitum
Vanis edidici perſtrepere auribus
Empto carmine: non ego
Corruptus pretio nunc meditor parum

Caſtae ducere te ad veſtibulum domus.
At tu prome puer, prome age barbiton
  Ceſſantem nimium diu.
Spartanus veluti, per nemus aſperum
Dumis inſidiantem ut pecori lupum
Egit, cum fremitu & laude faventium
  Pagorum redit ad gregem,
Villorumque globos ſanguine ſordidos
Fert rictu generoſo, e jugulis feri
Vulſos hoſtis: aquas ſic repetit ſui
  Turnonus Rhodani, bene
Defenſa Heſperia clarus, & impigri
Compreſſo celeber militis impetu,
Bellona ancipitis numina militis
  Horrere immemoris diu:
Alternae ſed enim ille admonuit ferum
Fortunae, celeri vertere turbine
Gaudentis vacuum corpus, uti choros
  Laſcivae juvenes ubi
Ducunt, & Zephyris huc agitantibus
Atque illuc, Phrygio Sidonias acu
Illuſas chlamydes, inſtabili citae
  Luſtrant atria poplite.
Directa ingrediens paſſibus aequitas
Ad normam paribus, nec modulo ſibi
Majore, atque aliis commoda dividens
  Quorum non dubia eſt comes.
Illos aere micans non peditum cohors,
Non ſaevis equitum turma frementium
Horrens cuſpidibus terreat, aut mari
  Vectae caeruleo rates.
Nam recto favet, & juſtitiam bono
Plerumque aequus alit Juppiter exitu,

Obſcuram, & tonitru, & fulmine territans
  Fraudem, atque implicitos dolos
Nudans. At vigilem fallit amabilis
Acrem ſimplicitas, & ſuper aeneas
Accerſita fores, & ſuper ardua
  Pernix moenia tranſilit.
Hanc puro retinens in gremio fovet
Sincere Italiam & diligit hoſpitam
Turnonus, patriam civis uti ſuam,
  Natorum, & memor aureae
Civis conjugis: hunc purpureus pudor,
Elutiſque fides candida ſordibus,
Et preſſo digitis ore ſilentium
  Arcanum inſequitur: neque
Infandumque nefas enſe domans Themis
Diſtricto, comitem ſe negat inclyto
Impolluta ſeni, mundave veritas
  Albo lucida pallio.
Ergo permadidos felle animos nigro
Regum diluere eſt auſus, & aſpera
Permulcere manu pectora turbidae
  Plena irae, intrepidam ſtruens
Pacem, quae manibus ſanguineis diu
Attrectata, magis poſt niteat, velut
Fulgentes lapides, aerave lucida
  Cum tergere volunt, luto
Conſpurcant: id agens egregius ſenex
Celtarum procerum ſanguis, & oppida
Firmans obtinuit Marte labantia
  Quaſſante, & miſeris ſuas
Urbes reſtituit civibus, impigram
Pacem, tela cruenta inter, & aſperos
Procudens ſonitus ferri: etenim gelu

Tor-

Torpens quam peperit timor
Pacem, ſerviet illa, horriſoni ſimul
Bellonae ſtrepitus ingruerint ferae,
Imbellis. ſed enim deſine fervidos
Dulcis Melpomene modos:
Nam nec cuncta pudor fert:neque veritas
Cum lucro alma decorum explicuit caput
Semper: tum melius tecta ſilentio
Virtus invidiam latet.

AD FORTUNAM.

EXPERS conſilii, quae pede lubrico
Incedis Zephyris mobilior Dea
Et fluctu Jonii incertior aequoris,
Te, cum laeta ſinum pandis, & uberes
Fundis divitias, ac miſeris ades
Improviſa, boni progeniem Jovis
Dicunt. Tu ratio, tu ſapientia,
Servatrix eadem crederis urbium,
Virtutiſque ſedens in ſolio nites.
Sed mox torua domos regum ubi concutis,
Et congeſta diu munera, turribus
Dejectis, ſubito turbine diſſipas,
Vanae te comitem ſtultitiae ferunt
Deliram. Immeritum tu, titulo bonis
Demto, nobilitas: frena ſuperbiae
Artis tu manibus detrahis ebriae.
Succeſſu, & ruere hanc ſic temere ad ſuum
Rides arbitrium, mox humilem truces
Vultus depoſituram: O utinam meae
Oblita oſtiolum praetereas domus,
Seu tu ſanguineis oppida territans

Bellis, ingrederis per Latium fera,
Seu pacemque gerens, & populos beans
Pennis involitas verſicoloribus:
Nam ſic inſtabilem viſere te meos,
Vel laetam atque hilarem, pertimeam lares.

DEFLET MORTEM HORATII FARNESII.

TE flebimus flos Heſperiae puer
Madente multis carmine lacrimis
Et debitam laudi Thaliam,
Naenia lugubris occupabit.
Ille, enſe pectus qui tibi candidum
Trajecit, iiſdem vulneribus Latî
Cecidit & ſpes, & vireſcens
Italiae decus enſe carpſit
Horati eodem. Non ego ſauciam
Ictu parentem mortifero tuam
In lacrimas culpem ruentem.
Nec viduae gemitus puellae
Compeſcere auſim carmine: lugeat
Immo illa dulces funere nuptias
Miſcens amaro, nec ſat unquam
Te miſera illacrimata flerit.
Jam nec capillo parcere, nec genis
Aequum puella eſt regia, lacrimis
Eſflagita Martem cruentum
Uberibus, pueri cadentis
Dulces ocellos, & tua gaudia,
Quae conciderunt exorientia:
Ut ſtella, quae vixdum coorta
Heſperium occulitur ſub aequor.
Non ille avorum, nec ſoceri immemor:

Dul-

Dulcique flagrans igne tui, neci
Ultro obvios greſſus ſuperbos
Intulit, intrepidumque pectus
Objecit hoſti, qua violentius
Bellona nigris foeda cruoribus
Eſt viſa Martis ſaevientis
Sanguineas glomerare turmas.
Nunc laetus umbras vulnera nobiles
Oſtentat inter pulcra, nemus tenens
Beatum, ubi Hectorque & Latini
Sunt veteres, Rutulique reges.
At Theſpiis o grata ſororibus
Obliviosi pellere temporis
Idonea umbram, atraeque mortis
Gloria vulneribus mederi,
O trade Muſis & Polyhymniae
Cuſtodiendum nomen Horatii
Clarum, & domum Farneſiorum
Hanc Latii Italiaeque lumen.

IN PETRUM VICTORIUM.

NOBIS Calliope magnũ alienum aes ſupereſt vetus:
Nã pridem ratio ſcripta mihi eſt pectore in intimo:
Tu quaeſo patere a te ſolvam quidquid id eſt dea
Non Victorius eſt exiguis verſibus, aut lyrae
Aptandus tenui: veſter amat Phoebus eum neque
Ulli plura bonum munifica crediderim manu
Largitum, uber enim ſicut ager, ruraque pampino
Mitis florida Jacchi, & Bromio & frugibus oppida
Circum plena hilarant, muneribus dives Apollinis
Etruſcos populos ingenii fruge bona bonus
Ille enutrit alens. Sic ſenior vertice Pelii

Olim

Olim Phyllirides frondifero ſemifer uberi
Graios nobilium ſeminio dicitur artium
Ditaſſe. Ille dies e medio tollere qui poteſt
Ritu Cecropio ſcripta tibi clara volumina
Victori, eripiet roriferis ſidera noctibus,
Idem ſubtrahet & piſcibus, idem aequora nantibus:
Contages populi te tetigit lurida morbidi
Numquam: te ambitio curriculum praetereuntium
Obliquis oculis adſpiciens nec pepulit, neque
Illis roboris hoc attribuit Juppiter, ut ſacrum
Phoebo diſcutiens commoveant pectus: originem
A Ceo licet, & Porphyrione a valido trahat
Conatis ſolium Caelicolum ſcandere fratribus.
Non res, cui cumulus ſemper abeſt, cunctave metiēs
Aurum te pupugit: te nitidum Muſa ſalubribus
Fontis Caſtalii lavit aquis candida; tu meae
Et lumen patriae percelebris: ſat mihi fructuum
Ignava haec tulerint exilia in montibus aſperis
Quaeſita, argueris deſidiae ni tibi debitum
Carmen nive inopis quod citharae dinumerē modos,
Acceptum id mihi te ferre neges, jureque reſpuas.

IN CAMPANAS.

O Quae terrificos vicina e turre cietis
Tot nocte aera ſonos tinnula, totque die.
Si mihi venturae noctis dormire licebit
Per tot tinnitus particulam miſero:
Nec cum defeſſos jam jam continget ocellos,
Vos metuet, ſubito diffugietque ſopor:
Ipſe ego cras vobis ultro tortique rudentis
Spiras & firmo e robore fulcra dabo:

Tu-

Tutius ut ſonitu boreamque laceſſere ſaevo
Poſſitis poſt hac, & maria, & tonitrus.

IN EASDEM.

CUm cinctum nimbis & nigra nube ſedentem
Deficient olim flammea tela Jovem:
Cum ſueta in pontum plenis decnrrere ripis
Praecipitem ſiſtent flumina prona pedem:
Fluctibus & raucis Siculum pertundere littus
Jonii cum jam deſinet unda maris:
Tunc quoque vicinis ſuſpenſa in turribus aera
Ceſſabunt bombos edere rauci ſonos.

IDEM.

CU M mare nec fremitus edet, nec ſibila venti,
Nec nimbi, abruptis nubibus igne, ſonum:
Et cum nubigenae Thaumantidis ora ſinumque
Deficiet croceus, purpureuſque color:
Cum pontum nitidi piſces, cum littora pictae
Conchae, cum denſum deſeret umbra nemus:
Turre tua tunc Corneli dulciſſime raucos
Tinnul a ceſſabunt aera ciere ſonos.

BENEDICTI
LAMPRIDII
CARMINA
AD CREMONAM PATRIAM.

TUA illa tandem maxima vota Dii
Audivere boni: hinc favens
Nunc coetus celebras, memorque lucis,
Quae modo fulſit tibi, eam quotannis
Laetam Cremona publicis ludis voles.
Ut fervidi currant equi,
Nuda palaeſtra viros fatiget,
Concurrat audax pinu eques trabali,
Tercentum ſua ſpectet
Ludicra vulgus.
Videbis alta de ſpecula novas
Nuptas deſpicere in viam,
Queis monilia pulcra & arte, & auro
Sint, & intexto precioſae acantho
Veſtes, Tyros quas non avara tinxerit.
Cultu locus quis divite,
Quis locus egregiis carebit
Forma puellis, mater unde amorum
Ridens pectora curis
Figat amaris?
Ibit hac illac juvenis pallidus, & redibit
Se ſe in equo lupata
Mandenti oſtentans, auroque & crine decorus
Com-

Compoſito, qui vulnere amoris
Victus ſtare loco neſciet, aç, certa velut canſi
Fides herum quaerit latentem,
Per fora perque domos,
Sic illum trepidans cor feret, ac miſer
Suſpiciens, oculos vertet modo huc, illuc modo,
Cernere ut queat ſuam.
Licet hinc obſtiterit magnus & inde
Populus, qui ſtudiis ſe paribus fundet eodem.
Nam quae voluptas fugeret invida?
Seu certamina blandius,
Seu te percutient ſtolae decentes,
Totque luxu regifico apparatus,
Ut haeſites, quo lumina intendas tua,
Ubi ve defigas prius.
Inde, ubi praemia jam peracta, &
Confecti erunt ludi, ſerena, quando
Nox induxerit atro
Sidera caelo,
Ipſas inibunt laetitiae domos,
Tunc coenae arbiter & meri,
Vinctus crinem apio, decem jubebit
Principem Auguſtum cyathis bibamus,
Quem nuper aureus cupitum maxime
Sol reddidit genti ſuae,
Praecipue tibi praeter omnes,
Quae cara ſemper Sforciis fuiſti,
Ex quo ſe omine primo,
Dia jugarat
Blanca Franciſco, unde decus Sforciadum, furorē
Qui toties repreſſit
Hoſtilem, victus nunquam, juſtiſſimus idem
Sive forum, ſeu caſtra tenerent.

Sponſae

Sponſae ergo pater optat generũ,moenibus ipsũ emit
Noſtris Philippus Rex locorum.
Filia ſola domum
Servans Blanca, & opes divitis Imperii,
Additur egregio coniux duci, illa Heroidum
Quae fuere, quaeque ſunt
Honor: ex illo igitur tempore noſtram
Coluit Sfortiades prae reliquis urbibus urbẽ.
Quod hic pudentis tunc patuit viro
Nuptae virginitas novo,
Et plus ſeque ſuaque luce terras
Illa dotales populumque amabat,
Quin & Cremona principium Regni fuit,
Tantaeque fortunae caput,
Nota virum ingeniis Cremona, &
Armis, profuſa argenti, avara laudis,
Formoſiſſima & intra
Moenia & extra.
Quam multa de te nunc mihi ſe offerunt,
O deſiderium meum:
Quae cordis reſonem integris, laborem
Poſt tot annorum, niſi vellat aurem
Pudor? mihi namque es parens cariſſima,
In teque & ipſum me probem:
Adiiciam tamen, ut ſequuta es
Semper fidelis, quo vocaret Eurus
Volvens aſpera nigro
Aequora fluctu:
Atque tempeſtas ubi jam candidior refulſit,
Laetitia ſubinde
Exultas, lucent ignes, feſtuſque per urbem
Clamor, humum alterno pede pulſant,
Laeti dulce roſis impediunt nectar olentibus,
Et

Et tibias conviviorum
Mutuus uſus amat.
At nil ipſe modis praefero Doricis,
Aſtra quibus volucri continget heros vertice.
Sed quis audeat ſacer
Heliconis fidicen tollere cantu
Juvenem magnanimum fortiaque examina bello?
Terras Io nunc obtinet Italas
Magni ille egregius patris
Ultor: proditio patrem infidelis,
Unde non pulcrum fuerat cavere,
Divendidit, ſimulque regnatum gregem.
Tunc dura venit ſervitus,
Tunc miſeram exiliis coacti
Cives ſalutem quaerere immerentes,
Caris cum pueris, &
Conjuge cara.
Cum Rege plectuntur populi ſuo:
Is fructus tamen in malis
Se profert, vice quod ſoluta dulcis
Explicat frontes, magis & voluptas
Moerentum acuto corda tentat gaudio,
Franciſcus attulit nepos
Quale modo, in ſua dum rediret
Regna, & cruorem dum ruens per atrum
Noſtro milite ſaevos
Frangeret hoſtes.
Non metus poſthac redeant, atque iterum tumultu
Facto equitare tentent
Auſonios per agros, aut ipſi, aut poſtera gentis
Proles: nam quos Marte cruento
Ereptos voluit Rex ſupremus, voce per oppida
Teſtantur ingenti, monentes,

Solvite ſpes animis,
Ne ve ultro Italiam invadite: jam ſatis
Flevimus. Italia eſt genus virorum, quos licet
Viceris, domum male
Referas preſſa alacri tempora lauru,
Animis illi adeo corripiunt arma refectis.

AD FRANCISCUM SFORTIAM.

ES cordi ſuperis, optime Rex meae
Gentis, Sfortiadum genus
Franciſce, ab illo nomen inditum duce,
Quo bellante aliquid ſibi placebat
Mavors, fluebat campus atro
Cruore, ſaevas jam pigro
Caedes volvebat Padus amne.
Tunc nymphae inſolito praetrepidae metu
Fugere intima ſub vada,
Talem parentum ſcripta avum tuum docent
Quem jam nunc teneris ſequens ab annis,
Inſigne virtutis dediſti
Nobis decus, reponeres
Gallis dum te in ſceptra fugatis.
Hi copiis te Belgicis premebant,
Militeque Heluetio, tremendae
Quos obarmant (ut vetus his mos patrius) ſecures:
Tu tamen, quamvis ſtudio eſſet illa
Gens duri aſpera belli,
Irrueretque multa,
Nil contra es veritus agmina ducere
Inſubres juvenum manus,
Cumque hoſte ſecurus queis pro patria
Haſtas conſerere, Italumque robur.

Haeſere

Haeſere ſcutis ſcuta: moeſtus
Hinc clamor, inde gloria
Mactantumque virumque cadentum:
Cum Galli rapidam corripiunt fugam,
Voſque occidere pergitis,
Ut quenque fortuna obtuliſſet ultimum:
Tandem funera nox, diemque clauſit,
Ac laeta pubes venit urbem,
Quos inter ibas ſordidus
Pulcro pulvere, ſanguine pulcro.
Gratantur omnis Civitas, tuumque
Nomen ubique reponit Echo,
Reddita ut lux templa Deũ coetu adeunt frequenti,
Cum tamen ſpectes lacrimis madere
Multos, laetitiaeque
Et medios doloris.
Patrem eheu repetunt mente tuum boni,
Quo prudentior haud fuit,
Nec juſtior quiſquam, nec acrior manu.
Fama ille ad ſolium Jovis volarat,
Sed laudibus diſpar ſequuta eſt
Fotuna tantis, nec datum
Infandas evadere fraudes.
Nullam ſata domum perpetuo beant,
Mutatamque probant vicem.
Verum, Deus ſi quos amet, diſpendia
Ipſi illi reparant, opeſque fractas.
Quin ſaepe damnum res ſequuta
Opimior, venitque ſol,
Foenore qui reddat caput uncto.
Tranſibis alpes fortis, & catervas
Incipies Italas per agros
Celticos immittere, nec barbaricis ruinis

Deſines incumbere, donec aurum,
Praeſtantique puellas
Dividat ore miles.
Ipſe autem populis des tua ſubditis
Jura, ac latius imperes.
Curas remordentes premunt oblivia,
Cum ſe fors reditu ferat ſecundo,
Majoraque amiſſis rependat:
Nam quicquid accidit ſemel,
Non homines, non Dii revocarint.
Imprimis cineres, ſanctaque barbaro
De buſto oſſa revulſeris,
Quae ſemper oſſa culta nos habebimus:
Ipſum vero etiam ſacrata in aede
Votis vocantes rite, honorem
Imponemus aris ſupplices.
Eſt genitor perpeſſus eaſdem
Clades tuus, quae ſceptra liberoſque
Regis Echionii inſequutae
Olim erant, dum vita fuit, ſaeva pericla adibant.
Non aqua, aut tellus miſeris patebat.
At poſt Jupiter aequus
Annuit arcem Olympi.
Non fiunt homini de nihilo bona,
Semper neſcio quid praeit,
Fugiſſe quod velles: ſed hortatur memor
Virtus, pectore ſufferas ut aequo:
Serveſque gaudiis te futuris.
Ergo quid incaſſum angimur,
Quod te lecto affixit iniqua
Febris, nec metum adhuc ſollicitum elevas
Fidus cultor Apollini?
Salus redibit afferens vires novas,

Atque

Atque e morbo animoſior reſurges.
Sic Hercules quondam ruebat
Laborioſas feras
Majora rebus te manent peractis.
An dubitamus adhuc, ſiniſtrum
Cum tonet, cum lanificae fauſta neant ſorores?
Quod ſevero pollice Parca voluit,
Non induſtria, non vis,
Ante diem refringet.

AD JANUM RUFUM.

HUMANA ſaepe fallimur
Gens, ſaepe noſtrae ſpes fluunt inanes;
Quanquam illas ratio, & conſilium regat.
Omnis, in quo ſpes fuit
Noſtra olim ſita, longum
Officium ille tempſit
Securus veteris de ſe pendentis amici.
At Rufus audito meo vix nomine
Contulit feſſae otia tuta Muſae.
Age dic memori carmine magnum
Pimplea Rufum. dignior
Eſt nemo blandis quem ſacrare nervis
Opes implicitum flore comam novo.
Si virorum gloria
Quicquam pectora tentat
Grata, animuſque dulci
Afficitur cura, & referendae laudis amore;
Qua fulget heros Livienſis plurima,
Orbe ſe quocunque teneret, annos
Seu demeret aetas, ſive adderet.
Teſtis urbs Quiritum

Aeterna Jovis alite
Condita Roma, hominum
Judex, ubi renidet
Aurea, tamquam in lumine magno,
Virtus, ſequuta eſt quae benignum
Rufum adeo, foret ut ſecundus
Nemo, proximi trecenti.
Non ergo divus Julius
Secum anxius longum revolvit, alta
Quaerens mente, gravi qui ſapientia,
Et fide immutabili
Eſſet praeditus, idem
Fideret aequitati
Auro incorruptus, linguaque, & pectore forti.
Deliberantem anceps moratur copia,
Cum quid excellens animum remordet,
Summa & de re novus inſtat labor.
Fernandus aequo Iberiam
Sceptro tenebat clarus ille fama,
Qui regnum valido militi Bethicum
Et ſibi & noſtris Deis
Subjecit melius, quo
Soſpite nullus eſſet
Nunc timor audito magnas Oriente carinas,
Parare ne ſtet nomen amplius pium:
At repoſitum hoc in gremiis Deorum,
Quibus omnia fiunt auctoribus.
Regem ad hunc graviſſimus
Rufus mittitur: ille eo
Omnia conſilio
Perfecit, ut virorum
Terrae praeſtantum genitrici
Laudem adderet ſummam, ſorumque

Tolleret

Tolleret aethereis paternum
Ignibus, ſuamque gentem:
Quam magna origo Livius
Dux condidit, qui ſaevius furentes
Poenos, & tumidas Aſdrubalis minas
Contudit bello ferox.
Refert principe quo ſtent
Moenia civitatum,
Et manet antiquum populis per ſaecula robur.
Hoc Gallus olim expertus ingentem ſuae
Retulit luctum patriae, & tacenda
Cupidus noſcere damna uxoribus.
Hic militaris gignitur
Juventus, hic qui lucida aſtra norint.
Hic eſt uber agri, has Theſpiadum chorus
Maxime terras amat.
Ecquis ſingula ſperet
Dicere? non laborem hunc
Ipſe adeam ſanus, numerique, & finis egentem.
Dein ipſe me Rufus vocat, Rufus, premi
Qui vetat raram ingenii feracis
Vim ſtemmate avorum longiſſimo.
Dii, quis eruditior?
Ille & ſcriberet erat catus,
Carmine ſeu nitido,
Sermone ſeu pedeſtri
Docta effingere orſa parentum.
At tanta cum praeſtare poſſet
Facta etiam, mage judicavit
Hanc viam impiger terendam.
Loqui eſt decorum, at altius
Se tollit, humanum genus juvare
Qui rebus ſapiens egregiis poteſt.

Hac via mortalibus
Fulgentem itur in aulam,
Diique probantur eſſe:
Te divina quibus virtutum gloria miſcet,
Ut Rufe cumpellare te tandem audeam,
Qui merere ut tres domini approbarint.
Quando id prius accidit, aut olim erit?
Uni placare principi
Et caſus, & libido praebeant fatis.
Certe hoc ipſe ſagax rerum animus dedit:
Te Leo, Te Julius
Experti prius, at nunc
Optimus Adrianus,
Sectatus famamque tuam, exemplumque priorum,
Tibi recludit pectoris ſacra intimi,
Ut juves in partem onus, atque prudens
Cures, deceat quis populos ſtatus,
Neu quod obtigit ſuum
Cuique injuria ſecum agat,
Praeſidium miſeris
Ne deſit, & ſuperbos
Leges, juraque debita frenent
Felix Io, ſanctumque ſaeclum
Dii proprium ſinite, omnis ore
Vos precatur orbis uno.

IN ORPHEUM A JULIO MED. DICATUM

SUDORE quaeſitam impigro
Virtutem pater uſque muneratus
Creditur Caeli plaga.
Hunc olim Semeles puer
Dum terit callem pedibus decoris,

Ignes auxit Olympo.
Caſtorem vagi notis
Saevum tumultuantibus nautae vocant,
Non caret Herculeus numero labor,
Ut ſtravit ingenti manu leones
Monſtraque Lernae.
  Neque tacitum tua linquunt
Fila lyrae canora
Orpheu, quem patrio ſuper Hemo,
Dum quererere modis
Triſtibus Eurydicen adeptam,
Arbores ferunt ſequutas,
Vatemque mobili umbra
Muniſſe, pedes per aprica
Thraciae ferentem.
  Tunc ſtetit celer Hebrus,
Tunc lyrae ſtudio
Aurita repſerunt gelidi juga Pindi:
Non Nerei fremitus obſtrepuit ſono.
Quin & colubris hiſpida colla tumens
Ceſſit Taenareae canus triceps domus,
Ebur ut blandis crepuit nervis.
  Animo gaudebat tacito
Erudiiſſe mater
Calliope Jove nata ſupremo,
Non tamen immemorum
Figit iniqua hominum venena,
Antequam petiiſſet aſtra,
Ubi ille nec caduco
Nec bono fragili potitur nunc
Diis Jovique carus.
  Ergo plurima laudum
Orta materies

Aevoque functis, ſoſpitibuſque Poëtis,
Qui fauſtos Medicum denſi adeunt lares
Hymnis canentes Orphea nobilibus,
Teque ſpes bona natum Juli, qui dicas
Illum ſimili marmore poſitum.

ANTONIO TEBALDEO.

TEBALDE carminum meorum candide
Judex, pudor quis aut modus
Fiet dolori? flere tandem deſine
Tam dulce, tam carum caput.
Non ille vidit ultimum ſolus diem,
Solive flendus contigit,
Nam quem viri non excitarat cognita
Virtus amore vinciens?
Seu pangeret verbis poema Lydiis,
Sive os Latino ſolveret
Concentu aquas potus jugo ſub Aone
Priſcis eaſdem vatibus,
Unde inclytum Ferrariae veſtrae decus
Nullum tacebit ſaeculum.
At te iſta, quamvis magna, non ſola incitant,
Sed mutua additur fides
Animi, pareſque moribus raris viae,
Idemque virtutum calor,
Qui ſaepe coniunxit ſub uno ambos lare
Tota beans anni mora.
Heu dum revolvo haec, mens perhorreſcit mea,
Nec quid loquar, ſatis ſcio.
An quicquam amico dulcius nobis datum?
Vincis Tebalde, & me ſimul
Rapis gravem in luctum, dolentem te ne ego

Vide-

Videbo, quin ſim particeps
Doloris? an ne quenquam amare tu potes,
Ut non eundem tecum amem,
Viſum licet nunquam? ſed ut cunctos dies
Bonum fleamus Timotheum,
Nunquam remixtae lacrimis voces piis
Plutonium flectant canem.
Quicunque naſcimur brevi poſt lumine
Aeternus impedit ſopor.
Nec tum genus, purique candor ingeni,
Nec qualis illius fuit
Plena hoſpitum domus, ſemel vinctum excitent.
Fatis nihil potentius:
Durare ſaeva fata nec volubilis
Valet potens caeli Deus,
Qui ſi velit caris rogos depellere,
Evadat irritus labor.

IN OBITUM CARD. SEDUNENSIS.

ERGO ne ſic poſitum aſpicio, ergo ne
Te vetitum aetherea
Luce paſci, te optime
Matthaee, qui majoribus edite nullis
Tantus fuiſti? rurſus obverſabitur
Ille mihi ante oculos,
Quo majus inter millia nullum aliud
Monſtrum urbs alit, quo ſoſpite ſemper erunt
Peſtes, venenaque omne genus, nihil intabidum
Videre licebit?
Viſum ita Caelicolum ſupero patri,
Quem fera praecipitat
Ira mortale in genus,

Per-

Perditque ſublatis ſimul his, ſimul illis
Damnum relictis in malum mala vice.
Ah quoties melior
Largis tuum olim fletibus interitum
Pars conquereretur. te pereunte diem
Involvit atra nox, furit undique triſtis dolor
Acuto ululatu.
  Quis vos, o miſeri manet
Nuntius Helvetii? Sedunenſis praeſul, heu
Occidit, occidit,
Qui patrium claro extulit polo decus,
Eſt is unde novo vocati honore
Templorum & fidei praeſidium ſacrae,
Juvit fatigata ille magnae
Romae numina, vobis
Dum pium nomenque decuſque ſuadet.
Ah ſaeva noſtris gens malis cachinnat,
Exultat inviſiſſimus
Hoſtis, qui magno prius auro,
Rejectus ab Italia toties,
Emiſſet dura haec noſtri ſpectacula luctus.
Laborem ſequitur labor,
Nec redeuntibus uſque ſaeclis
Proveniet nefanda
Ullius de morte teges uberior dolorum.

AD GIBERTUM.

GIBERTE pectus maximarum
  Rerum capax, aetas licet
Matura nondum, vixque ſignes laneo
Mentum flore novum & purpureas genas,
Cum tibi recte eſt, faciliſque puppim

Ven.

Ventus proſequitur tuam,
Tunc me nemo hominum beatiorum
Gaudiis praetervolat
Ignifero ſuper aethere pendulum.
Turbata rurſus ceu columba
Pavore ſuſpenſus tremo,
Si diva praeſes Antii tranſverſum agat,
Et fracto pelagus remigio rates.
Aut, ubi ſaevit pater aeſtu & ira,
Si te inter miſerabiles
Luctus, terrificumque mortis agmen,
(Heu loquentem horror ſubit)
Longa morentur in urbe negotia.
An ſunt ulla negotia tanti,
Tuam ut nefandis expoſitam ſinas
Peſtibus animam, manifeſto & rogo,
Latio cum excideret Gallia vecors
Armis turpe relictis,
Segeſque dudum increverit per agros
Laetior Auſonios
Pota cruorem,
Quem ferox tandẽ anguigero ſub duce miles hauſit:
Cumque auctum pulcro miremur ſidere caelum,
Liquerit & ſolium Quirini
Gentium potens Leo.
Credebat omnes ille curas
Tibi atque rerum maximos
Motus velut patente noras pectore.
Quidni? quando fidem expertus aheneam
Ante laudavit Julius, & ſeveris
Verſans ille laboribus
Formarat docilem, ut ſubire poſſes
Tanta rerum pondera,

Non

Non ſecus ac patrui pietas ſolet.
Natura prodeſſet nil, parumve,
Sed vim latentem proferas
Quali magiſtro, evadat in talem puer.
O felix igitur tu juvenum, tuus
Si Leo terras habitet ſuamque
Romam ille imperiis regat,
Legeſque, & ſua jura ponat orbi.
Non tamen ſolum attigit
Te dolor, omne pium queritur genus.
Eheu ſe Stygio extulit amne
Cohors malorum fine carentium,
Bonaque omnia corripuerunt fugam,
Miſeri quae modo cognoſcimus: eheu
Fallunt nos bona dum ſunt,
Elapſa produnt ſe illico, arguuntque
Stultitias hominum &
Frigida corda.
Dum Leo Tarpeja ſceptra incolumis teneret,
Vidimus expulſos hoſtes, felicia cuncta,
Uſque adeo erubuit Leonem
Rex Olympicae domus.
At mox laborum influxit agmen
Clauſtriſque laxatis ruunt
Morbi: Deorumque omnis ingruit timor.
Nec majore alibi ſtrage neceſſitas
Iſta bacchatur, graviorve ſurgit,
Quam Romae, ſupereſt modo
Si Romae quid, inane nomen ultra,
Nec penates Troicum
Numen & haec profugi ſola verterint.
Heu tu loca haec vates, Deoque
Cedas: amat Deus pios,

Sed

Sed ni audiant, exemplaque attendant, & hoc
Ignavo pariter cum populo metit.
Collis ille Ethruriae ocellus altae
Formoſo excipiat ſinu.
Namque olim mihi ſaepe tu ſolebas
Hunc ſuper dulci mero
Praecipuis dare laudibus angulum.
Olim vivax fama ſequentes
Dicet per annos, hic juvenum fuit
Decus, hic ſtudiorum fuit unicum
Specimen, dum fugeret triſtia fata:
Horret pectus amore.
Jam jam propinquam te videre ad Helſam
Mente nova videor.
An mea laeti
Vota reſpectant ſuperi? jam mihi Bacche Gnoſum
Linque tuam, huc ſuper Icarios allabere fluctus
Delie, ſoſpite nil patrono
Dii beatius ferant.

AD OLIVETAM VILLAM LAURENTII PUCCII CARD. SANCTORUM QUATUOR.

DII Collium, & Pallas te Olivetum tua
Omnes diligat annos,
Laeta etenim gremio excipis obvio
Nos urbium actos principe
Roma cedere, finibuſque amatis,
Quando immane ſonans arcus Apollinis
Saevit, & atra lues
Contigit omnia pene tecta.
Huc ergo venimus tuum ſequuti herum

Per

Per diſcrimina multa,
Cum populis fugeremur ab omnibus
Contagium ceu peſtilens,
Nec victu revocare nec ſopore
Tellus ſollicitos ulla animos daret,
Quin etiam horrida nox
Per nemora & loca ſenta euntes
Diſpicit ignaros viarum.
O quandiu te ſulphurina ſilva
Mente tenebo!
Quandiu triſtis memorem ſubibit
Caſus & dolor novus.
Cum ego meuſque Nerlius ſequentem
Pone amiſimus optimum,
Bombaſium unanimumque ſodalem.
O quae querelae, o qui gemitus dati.
Lucerna, communiſque lectus conſcii,
Nam nos ardua tandem
Flora receperat, hoſpes & oppidum
Regens avitum Boſſius,
Unum hoc auxilium fuit laborum,
Ni nos Bombaſii cura remordeat,
Qui tamen incolumis
Affuit exoriente Phoebo.
Tunc ſolvimus triſti tumultu pectora,
Tunc per celſa ferebat
Templa Jovis vacuumque per aethera
Non uſitatum gaudium.
At prius mala ſaeva finxeramus,
Eheu corripuit dente vorax lupus,
Aut jugulo incubuit
Exuviis latro ovans cruentis.
Quondam & revolventes ſalebras,

Du-

Duriſque rupes cautibus tremendas,
Unde profundus
Lapſus & mortem omnia comminantur.
Heu quis iſta viderit,
Suae modo potens ſit ille mentis,
Sicco lumine ferreus?
Pectore & haec moeſto repetentes
Omnes nefandus perculerat timor.
Non ponit unquam mente Jupiter bonos,
Teſtaturque periclis
Quos amat. ergo ſub arbore laſſulum
Notat ſagax quaerentium
Cura, non ſecus ac canes Lacoenas
Vis innata & amor predae inhians regit.
Interea & reliqui
Caſum animo tulerant acerbo:
Nemo tamen Laurentio magis duce,
Quo propenſior alter
Non fuit inque Deum, inque hominum genus:
Cui ſi latens vis acrior,
Si mens laeva patrum minus fuiſſet,
Antiquum obtulerant Imperium Remi,
Aegraque nunc lacrimis
Roma vacet, miſeroque luctu.
O Roma qualis nunc es, o quam
Mutata: ſed quid Nenias Thalia
Ingrediamur nunc?
Nunc choris & laetitiae vacandum.
Pan loci potens jubet,
Id Helſa Najadum decora, qua cum
Se oblectat modo per nemus
Palladium correptus amore,
Modo prope amnis murmura limpidi.

BAL. CASTALIONI.

QUID ceſſas? agedum cingere Cypria
Myrto & tu nitidas Caſtalio comas,
Et paulum abiice magnas
Curas rege ſuper tuo.
Non ſemper madidis Jupiter imbribus
Terras, & trifidis fulminibus petit.
Nec lux permanet alma,
Sed noctis vice pellitur.
Si Mellina nihil te domus afficit,
Et fontes poſitis ordine Medicis
Pomis, & ſpeculae, omnem
Unde urbem licet aeſtimes:
At Tyrrhena brevi fronte, oculis nigris,
Nigro crine, parat quae tibi dulcia
Doctis carmina chordis,
Et vocis liquidae ſonos,
Tangat. te cyathis en vocat Angelus
Ter ternis, juvenum nobilium decus.
Non contemnere Muſas
Te vatem decet impares.
Vates incolumis maxime ſaeculi
Te fas ante alios ducere Liberum:
Ingenti Ennius ore
Dicturus grave praelium,
Victos & populos imbuerat prius
Se vino. duplicem potus Ulyſſeum, &
Trojae funera Homerus
Divinis cecinit modis.

IN DIEM COSMI MEDICI.

COSMI lux rediit ſacra,
  Quam feſtam populi ſemper habebimus:
Haec, quando proavum Jovi
  Noſtro,& Mediceis principibus refert,
Qui magnis Patriae pater
  Quaeſito meritis nomine dictus eſt.
Ille urbi mala liberae
  Auro, conſiliis, pectore depulit.
Illum facta refectaque
  Privatis memorant templa pecuniis,
Quae Florentia Ethruriae
  Flos claris ſolita eſt in decus advenis
Oſtentare, magis neque
  Dii laudant alium, nec ſua patria,
Quam Coſmum, unde ſuus Leo
  Romae eſt, quem titulis, & nova imagine
Teſtatur Capitolium
  Patrem: hoc hoc cecidit ſaeva licentia
Infandumque jacet ſcelus.
  Nunc tuti, gladiis lege coercitis,
In luce, in tenebris ſumus:
  Quod nunquam fieri poſſe putavimus,
In tantum mala creverat
  Conſuetudo. rei eſt quiſque potens ſuae.
Regnat juſtitia, & fides:
  Dura non inopes eſuriunt fame.
Laudi praemia ſunt ſua,
  Quamvis ſacrilego Rex ferus agmine
In noſtra irruat otia,
  Et tentare Deos audeat Italos,

Poenas Galle dabis, memor
   Culparum, videt haec Jupiter, haec videt.
Diſces quid Leo Maximus,
   Quid poſſit dominae proxima Julius
Tutela Italiae, & potens
   Examen juvenum: ſed melius bona
Te miſſum faciam die,
   Ne inviſo maculem gaudia nomine:
Perfundi liquido juvat,
   Nardo, & fronde caput nectere myrtea.
Terpander cithara modos,
   Vos gratis alii promite vocibus.
Phryne docta leves choros
   Quid lenta es facili pellere humum pede?
Quin Graecam celer amphoram,
   Quin & vina moves Lydie maſſica?
Nos altum aetheris arbitrum
   Orantes prius, haec ut redeat dies
Semper pulcra mage & mage,
   Inter laetitiam, & dulcia pocula
Dicamus Leo te omnium
   Quot ſunt, quotque fuere optime principum,
Et Coſmum, & reliquum genus
   Nataleſque hilari carmine Feſulas.

LEONI DECIMO.

CUI ſumpſi citharam in manus?
   Dircaeis potius quem referam modis?
Certe non alius meum,
   Curis aeque animum dulcibus occupat,
Atque is, qui pater urbium
   Non falſo a populis nomine dicitur,

Qui

Qui Romam imperio tenet
  Aequo, praeeſſe piis quem voluit Deus
Prudens, gentibus. eja age
  Magnum Pierides dicite Coſmiden.
Nam veſtra ille opera puer
  Crevit ſuaviloquae flumen ad Arnidos,
Cum vos nobilis in ſui
  Viſendi ſtudium movit Etruria:
Quae multis alias bonis
  Semper nota, tamen tunc mage claruit,
Quod Laurens Medices pater
  Noſtri Regis, in hoc lumine dum foret,
Tantam praetulerat facem:
  Illo non alius nec ſapientior,
Nec fari potior fuit.
  Is ſupremo etiam, quod bonus, & pius
Eſſet, gratus erat Jovi,
  Quin & dives opum, nec timidus frui.
Non ulli deerat probo,
  Poſt laudem egregie divitias habens.
His ille artibus aureis,
  Ditabat veterem patriam honoribus:
Tunc Florentia floridis
  Virtutum rutilans laudibus omnium,
Quem non miſit in angulum
  Mundi extenta ſuae lumina gloriae?
At non vita homini data eſt
  Olim exors gelidi funeris, & mala
Expulſis redeunt bonis.
  Alternas veniens tempus agit vices.
Infanda ecce tibi dies,
  Cum vertit rabidus fraude mala furor
Moeſtis gaudia luctibus,

Natalique manus iniicit impias
Urbi turba Deum ebria
Donis, nec ſua jam tot bona concoquens.
Huc illuc igitur nimis
Adverſa immeritam fata trahunt domum,
Quos tandem, licet antea
Paſſos multa, tamen rettulit in jubar
Optatum pietas memor
Quas aedes ſuperis,quae ſacra fecerant.
Hoſtem ultrix ſcelerum fides
Incertum exiliis perpetuis agit.
Quicquid qualubet audeas,
Ne ſperato Deos immemores fore.
At Laurentiadis ſua
Cornu fudit opes copia plurimo,
Quique ipſis Genius favet.
Et ſi indigna ſuos duraque perpeti
Laevo in tempore ſinerint,
Magnis Dî cumulis damna reſarciunt,
Decedunt pede fervido
Clades ſaevae animis,cum tribuit Deus
Nobis laetitiam aequior,
Majorique cadunt victa bono mala.
Nondum jungere dexteras,
Nondum finierant dividere oſcula,
Cum Rex aetheriae domus,
Cui curae ſoboles Romula maxime,
Sceptrum dive Leo tibi
Acceptum penitus detulit in gregem,
Tot virtutibus ut tuis,
Se ſe Roma iterum tolleret, & decus
Priſcum ag noſceret inclyta,
Ut ſecura bonum degeret otium,

Au-

Auguſti alite Caeſaris,
  Ut ſanctis regeres conſiliis pios,
Et Turcam quateres metu
  Nunc, bellis alio tempore perderes.
Felix Aeneadum genus,
  Felices reliqui, quos regis ac foves.
Et Florentia ter quater
  Felix, diis homines quae generat pares.
Eheu quid laniat genas?
  Quid velat foliis omnia triſtibus?
Eheu Di ſtatuunt nihil
  Tam fauſtum, ut penitus quicquid adeſt probes.
Quo dux, quo juvenum optime,
  Quo vere Medicis orte parentibus?
Quo Laurens raperis nepos?
  Tecum ſpes Itali Martis obit nova,
Verum ut civis, ut advena
  Hunc deſideriis lugeat anxiis:
Non te dive Leo tamen
  Mutat plus nimis dura neceſſitas.
Sic cum Magdaleos pudor,
  Sic cum deſeruit te ſoror altera,
Sic cum junior occidit
  Frater, dos animi quem tibi junxerat,
Quamvis ſanguinis arctius:
  Nam virtutum apices legerat omnium.
Quo te cunque petit modo
  Fors, tectum clypeis pectus aheneis
Offers ſtrenuus undique
  Adverſiſque adeo fortior ictibus.
Tum novit ſapiens probe,
  Quae vulgus maneant vincula noxium
Quae poenae, ſimul horridum

Verbum Tartarei judicis audiit.
Quae rurſus loca debita his,
Qui vitam ingenuis moribus egerint.
Illic perpetuus dies,
Nec perturbat hiems gaudia triſtior,
Aut verſa vice Sirius.
Non remis tumidum vertere opus mar
Ut fias opulentior.
Nec glebam rigido vomere findere
Cogunt irrita commoda.
Illic Oceano patre Favonii
Spirant non ſine flumine
Manante auricomis lene ſub arbutis.
Ultra denique nil cupit,
Eſſe in divitibus cui licet inſulis.
Quas Saturnus habet Rheae
Coniux, veſter ubi Coſimus, ubi duo
Petri, & non piger emori
Antiquum patruus Julius ob larem.
Cui ſub funera hic editus
Divum in lumen habens nomen idem patri,
Carus tanquam oculi tibi,
Quod comi ingenio praeditus, & gravi.
Quod prudens alios ſupra
Te tam magni oneris dimidio levat.
Quod doctos colit hoſpites
Quod toto miſeros excipiens ſinu,
Et plantis tumidos premens,
Sublimis vacuum contigit aethera,
Sed quid provehor impotens?
E clavo melius barbite pendeas.
Et pulvis numerum fugit:
Nec digne Medicum tu reſones genus.

Sit

Sit tentaſſe aliquid tamen.
Non quiſquis ſpatiis ſudat olympicis,
Veloces agitans equos,
Pulcris juncta refert tempora frondibus.

AD FURNIUM.

ERGO tu ſine me, me ſine tu gradum
Vertis Furni animae non quota pars meae
Natalem ad Mutinam, & Garziacum tuae
Speluncae nemus ad ſitum.
Motum quaeſieris rerum ubi, quas pater
Arcana aetherium vi rapit in jubar,
Errent ſponte ſua juſſa ne ſidera,
Quid Phoebi niteat ſoror.
Haec tu quaeſieris, & ſuperas bonus
Res tentare animo praepete, & inferas.
Aſt ipſe interea videro barbaras
Regis reliquias feri.
An unquam miſeris libera peſtibus
Clementem inſolitis laudibus efferet
Urbs, & laetitias audiet integras
Convexi domus aetheris?
Heu lentis abeunt triſtia paſſibus,
Si quoquam horriſonos intulerunt pedes:
At quando veteris moenia Romuli
Felix Iupiter aſpicit,
Jam tempus dabitur, cum tibi carmina
Oſtendam, dabitur cum reſonet lyra
Pulſus Janiculi clivus, & advena
Tibrim muſa patrem excitet.
Quamquam o ne ingenii crimine dexteram
Paces egregii, bellaque principis
Bella illata Aſiae, vinctaque cum piis

Bella

Regum foedera honoribus.
Victum cernere erit Perſidis incolam,
Medorumqua duces noſtra pati juga,
Nilum cernere erit Medicea via
Duci flumine languido.
Gignet terra alium biſtonis Orphea,
Naſceturque iterum Maeonius ſenex,
Non proſcindet humum vomere villicus,
Non remis mare navita.
Nos vixiſſe ſequens aurea ſaecula
Aetas ſaepe leget, ſe ſe aget huc redux
Virgo ſollicito illecta cupidine:
Ingratarum prius urbium.
Haec quondam fuerint. nunc etiam ſubeſt
Fraudis priſcae aliquid, quod niſi tempore
Moles nulla queat diruere, & bona
Praecedit labor otia.
O tecum liceat ſi mihi currere
Id vitae ſpatium, nil grave perferam:
Jam jamque incipiant pollice ſtamina
Fulvo tracta niteſcere

LAZARO BONAMICO.

SUPERUM quiſquis venit
In lumen, amica ſibi
Fata ne confidat eſſe,
Quandiu current equi
Solis fugaces, & recurrent
Per ſpatia aetherea,
Lucis vice dum nitida
Interiturae abigunt genti tenebras.
Ille beatus erit
Mihi, fulvam cui colum auri

Pol-

Pollice Parca benigno
 Trahet, ex quo partuum
Lucina potens facili
Mota voto infantis ortum
Reddidit laetum, horridus
Donec Proſerpinae maritus
Inferae ab egregio
Urnae arbitrio, tenuem
Hoſpitis accipiat frigentis umbram.
An ne ubi Deucalion
Lapides jactos, & auro
Pyrrha comam religata
 Conſiliis Themidos
Adducti anima cale fecerunt nova,
Aut priuſquam rex olympi
Imbribus illuvieque
Habitata homini
Loca ſtravit, nec in aëris
Apparuit ulla plagis
Urbs minans ardentem in aethram,
Undique cum vitreus
Thetidos inundaret liquor, arduaque
Pelagus Pharſalide
Juga celaret vago
Impetu, parnaſium praeter cacumen
 Tulerat quo ſe trabe
Curva Aemoniae dominus.
Ergo proſpectabat ille
Tutus aequor virginem
Solans paventem belluarum.
Scilicet inſolitas
Formas caput e tumidis
Horrificum pelagi undis exerentum,

Atque

Atque etiam vetita
Niſi tellure arceantur
Rictibus ille adapertis
Subito allapſu ruant
Et pulcricomae teneras
In genas nymphae & tyranni
Nobile in pectus viri:
Sed rector omnium ſupremus,
Cui dare perpetuo
Non viſum erat interitu
Japeti ſobolem, ſervavit ambos
Propterea incolumes:
Hominum damna unde cernis
Uſque adeo reparata.
An ne vel ante aliquis
Haec tempora, vel potuit poſt aureum
Conſequi nomen beati?
Naſcimur, atque elementa
Ab origine fert
Triſtia quiſque ſua: nec erit
Unquam, illa ut ſuperſtitibus
Occidant nobis priora.
Ede age Lazare, quem
Vetera Pelaſgum oracula nota beant,
Sapit & multa animus
Duce non ullo tuus,
Ede cantem Deliis an digna lauris.
Mala nobis ſaepe ſunt
Mentita hilares oculos,
Ceterum paucis retecta
Menſibus poſt arguunt
Cordis minores, atque triſti
Jam facie invehitur

For-

Fortuna trahens ſubito
Turbine pernicem moeſtos ad imam.
Terminus haud etenim
Mali adeſt. Quorum rubente
Contigit atria dextra
  Pater olim, donec &
Illi, & genus omne cadant
Ultimum in fati barathrum,
Jupiter, nutu movet
Qui cuncta. felix vere habetur,
Quem nequit ulla virum
Vis, ullae agitare vices
Fulminis & ſonitu & flammis tremendis.
Quem neque mors capiat
Domitrix rerum, nec ortus
Saecula nacta perennes.
  At ſine fine domum
Sceptro ille regit nitidam ſtellis potens
Antea, nunc, quotque poſt hac
Cynthius afferet annos.
Quia in urbibus hac
Lege homines fruimur poſiti
Damnis procul a miſeris:
Terream ſpes docta gentem
Ducere quo libeat,
Venit aliquando laetior, eſt ubi nos
Vitioſis adigit
Scopulis, eludere
Pertinax errore jactatos marino.

PETRO BEMBO, IN FILII OBITU.

HUNC tibi, cui nigra parent Tartara
Pluto, & tibi Perſephone
Dilecta torum Stygia quae ornas Jovi,
Ne diſpliceam precor, udis
Optimo dum flebile Bembo oculis
Carmen requiro.
Tu mone tu divas Caeis
Nos aliquid lacrimis funeſtius.
Nam puer virtutis heres inſolentis
Debitus haud minus ac rerum, quibus
Fulget domus omnis, abit,
Heu purpureos abit obſcurae mala
Noctis vice tectus ocellos.
Lumen heu quando ſolitum in tenero
Splendeſcet ore?
Balba nunc quando parenti
Verba alacris repetes, atque afferens
Oſculum juſſum in ſinus curres apertos?
Non labello te micante
Carmina Virgilii
Audio reddentem, age pollicitus
Magnum puer nobis decus,
Spem fuge deſerere altam,
Prome age Maeonii quicquam ſenis,
Grajaque verba Latino profer ore,
Non ſecus atque ſolet,
Siquis eſt in Theſei prognatus urbe.
Anxius en pater hoc orat, memor
Cui ſollicitudine mens
Diſrumpitur aſſidua, cui dividit
Cor immeritum dolor urgens,

Tu

Tu ue Lucili hoc patiere: tua
Sentit tumultus
Hos pater cauſſa, vocatus
Quod ter, & amplius exaudis nihil,
Mitte patri, mitte vocem, quid morare?
Laetitia patrii quem nominis
Princeps fugiente beaſti aevo, cito linquis eundem
eheu nimis.
Matrem aſpice quae fovet ore
Os madenti pallidulum, uſque tuum
Complexa corpus:
Paſſa nam longum eſt laborem,
Ante ſuum puerum quam cerneret
Candido de ventris egreſſum rumore.
Vocibus mater vocare
Deſine moeſta piis,
Audit eheu nunc nihil: ille procul
Tranſmiſit atros gurgites,
Linaque pollice ſaevo
Rupit atrox Lacheſis fatalia:
Deſine Bembe, vocas fruſtra, ille campis
Ludit in Elyſiis
Florida crinem decens flavum corolla.
Et modo littora per fulgentia
Gemmas legit in ſuperis
Orto homim minime notas, modo
Laetatur in arbore fulva
Confidens decrpere rara manu
Splendente poma,
Triſti ubi dius tuetur
Lumine avus ſobolem, merens novam
Arborem Phoebi in ſacra elanguere ripa,
Quam poſuere Heliconis praeſides

Muſae

Muſae genito haud procul ab
Illa, caput unde beatum Deliis
Ornas foliis tu, & in orbe
Nobilis magno, invidiam pedibus
Calcas minorem,
Sive quid faris ſolutus,
Sive modos lepida pangis lyra,
Qualis aut cantus Lini, aut lugentis Orphei.
Aret ergo parva laurus,
Ceſſit & egregia
Indoles nullo reditura die:
At terque Lucili vale
Et quater, heu puer, heu
Summus & hic & infernis locis
Es dolor, atque tua partum deabus
Lanificis odium
Morte, numquam ſaeculis delebile ullis.

FINIS.

MAG 2016785